Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO BOKENSE
31
9 C
27

Digitized by Google

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanenſi Congregationis Clericorum
Regularium Matris Dei.

TOMUS SEPTIMUS.

A tertio Christi Paschate uſque
ad illius Ascensionem.



VENETIIS MDCCLX

Apud Simonem Occhi

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA

ad hunc ſeptimum Tomum ſpectans, habetur ſupra initio Tomi ſexti.

INDEX CAPITUM.

Liber Decimus tertius.

CAP. I. *Tertium Paſcha poſt baptiſmum a Chriſto celebratum: Scribæ, & Phariſæi Diſcipulos Chriſti illotis manibus manducantes reprehendunt: ſed Magiſter illos defendit. Adverſariorum hypocriſis. Quid Corban? Mulieris Chananææ fides. Surdus curatur. Quatuor hominum millia prodigio paſcuntur. Iterum ſignum Jonæ. Phariſæorum fermentum. Variæ inter Judæos ſectæ. Singularis Petri Confeſſio. Transfiguratio.* Pag. 1.

CAP. II. *Jeſus funaticum curat, ſolvitque didrachma. Diſceptatio Apoſtolorum. Varia ſalutis monita. Correptio fraterna. Jeſus ad Feſtum Pentecoſtes Jeroſolymam contendit. Septuaginta duo diſcipuli ad fidem annuntiandam mittuntur. Parabola Samaritani.* 18

CAP. III. *Chriſtus in domo Marthæ, & Mariæ recipitur. Dæmoniacum curat. Plura Phariſæis exprobrat. Quiſnam Zacharias filius Barachiæ. Rebus temporalibus Chriſtus non ſe immiſcet. Moralia documenta. Cædes a Pilato edita. Mulier incurva ſanatur. Feſtum Pentecoſtes. Herodes ad necem Chriſtum quærit.* 31

CAP. IV. *De humilitate præcepta. Variæ Parabolæ, inter quas duæ eminent: altera de Filio Prodigo, altera de Lazaro, & divite. An vir uxorem dimittere poſſit? Virginitas commendatur. Feſtum Tabernaculorum. Mulier in adulterio deprehenſa.* 45

CAP. V. *Jeſus populum docet. Cæcus a nativitate curatur. Paſtoris, mercenarii, & furis diſcrimen. Feſtum Dedicationis Templi. Parabola Judicis iniqui. Altera Phariſæi, & Publicani. Chriſtus unum ſe dicit cum Patre. Judæi ad lapides in Jeſum procurrunt.* 63

CAP. VI. *Chriſtus annum triceſimum tertium exorditur. Lazarus obit, quem Chriſtus in vitam revocat. Divitum infelicitas. Operariorum parabola. Judæi necem Chriſti decernunt. Ille ad ultimum Paſcha Jeroſolymam venit. Sollicitudo matris filiorum Zebedæi. Zachæus*

domo

domo Chriſtum excipit. Cæci curantur. Jeſus apud Simonem leproſum cœnat, & Jeroſolymam ingreditur. 80
Cap. VII. *Vox Dei de Filium glorificando. Ficulnea areſacta. Variæ Parabolæ de Judæorum reprobatione, quibus Ethnici ſuccedunt. Chriſtus pluribus quæſtionibus pulſatur. Vectigalia pendenda. In altera vita nullum conjugium. Mortuorum reſurrectio. Meſſias Filius ſimul, & Dominus Davidis. Sacerdotum, & Doctorum vitia. Jeroſolymæ obſtinatio, & excidium.* 98

Liber Decimus quartus.

Cap. I. *Noviſſima Chriſti cœna. Ultimum Paſcha revera celebravit. Euchariſtiæ inſtitutio. Chriſtus pedes Apoſtolorum lavat. Dum ad montem Olivarum ſe confert, diſcipulos hortatur, & Patrem orat.* 133
Cap. II. *Chriſtus in horto Gethſemani Patrem orat, & ſanguineo ſudore madet. A militibus captus ad Annam, Caipham, & Pilatum deducitur. Interim Petrus illum negat, & Judas mortem ſibi infert.* 160
Cap. III. *Pilatus Chriſtum interrogat, & ad Herodem mittit. Herodes illuſum ad Pilatum remittit. Pilatus innocentem flagellorum, & crucis damnat. Iter ad Calvarium. Felle, & Myrrha Chriſtus potatur.* 173
Cap. IV. *Chriſtus in Crucem levatus orat pro inimicis, blaſphematur, alteri ex latronibus Cælum promittit, Matrem Joanni, Joannem Matri commendat, moritur. Tenebræ terram occupant. Velum Templi ſcinditur. Chriſtus ſepelitur. Multi ex mortuis reſurgunt. Chriſti ad inferos deſcenſus.* 189
Cap. V. *Piæ mulieres ad monumentum venientes diſcunt ab Angelo Chriſtum reſurrexiſſe. Forma ſepulcri. Diſcipulorum dubium. Judæi Chriſti cadaver furto ſublatum ſpargunt. Plures Chriſti apparitiones. Variæ de S. Joannis Evangeliſtæ obitu opiniones. Chriſti ad cælum Aſcenſio.* 211
Cap. VI. *Evangeliſtæ aliorum perſuaſione opera ſua literis mandant. Matthæus Hebraico ſermone utitur, Marcus facile Latino, Lucas & Joannes Græco. Evangelia Nazaræorum, & Ebionitarum. Utrum S. Joannes inter Platonicos ſit recenſendus. Variæ de Flavii Joſephi teſtimonio ſententiæ. Acta Pilati.* 234

HISTORIA

UTRIUSQUE TESTAMENTI.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Tertium Paſcha poſt Baptiſmum a Chriſto celebratum. Scribæ & Phariſæi Diſcipulos Chriſti illotis manibus manducantes reprehendunt; ſed Magiſter illos defendit. Adverſariorum hypocriſis. Quid. Corban? *Mulieris Chananææ fides. Surdus curatur. Quatuor hominum millia prodigio paſcuntur. Iterum ſignum Jonæ. Phariſæorum fermentum. Variæ inter Judæos ſectæ. Herodiani. Singularis Petri confeſſio, Transfiguratio.*

Anno Mundi 4032. Chriſti 32. Æræ Vulgaris 28.

CAP. I.

I. AD tertium Paſcha, poſt initium miniſterium, a Chriſto celebratum pervenimus; quo inſtante Jeſus iter Hieroſolymam paravit; itineris tamen, atque geſtorum in ea urbe, nulla extat apud Evangeliſtas mentio; Joannes enim meminit tantum, panis multiplicati miraculum ante paſchalem ſolemnitatem contigiſſe (*a*); narratiſque, quæ de cæleſti Pane Chriſtus diſſeruerat, ſtatim gradum facit ad Feſtum Tabernaculorum, poſt men-

Tertium Chriſti Paſcha. Scribarũ & Phariſæorum votum Corban *approbantium, hypocriſis.*

(*a*) Joan. VI. 4.

menſes a Paſchate ſex celebratum (*a*). Nil fortaſſe, quod eſſet inſigne, ea occaſione edidit Salvator, brevique Hieroſolymam reliquit, necem, quam ipſi Judæorum odium moliebatur, declinaturus. Reducem igitur in Galilæam miraculorum gloria ubique comitante (*b*), adibant Scribæ & Phariſæi, ut & ipſius, & Diſcipulorum geſta obſervarent. Querentes autem illos, quod ejus Diſcipuli receptam apud gentem manus ante cibum lavandi traditionem minus ſancte ſervarent, liberioribus verbis objurgavit, objecitque illis hypocriſim, ſuperſtitioſamque in rebus nullius momenti religionem, cum interim maxima Legis præcepta negligerent, illud præſertim quod filiorum cultum erga parentes ſpectabat. Filii enim de Phariſæorum ſententia, obligatione juvandi parentes ſolvebantur, ubi ſacramento *Corban*, ſive *Corbona* ſe ſe obſtringerent, res parentibus debitas Domino conſecrantes, illa formula: *Hoc eſto mihi Corban*. Porro Corban idem ſignificat ac donum Deo in Templo oblatum. Semel autem eo ritu oblatis rebus, ſi quid ex illis parentes filios poſtulaſſent, reſpondebant: *Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit* (*c*): hoc eſt, quæ ex me petis, Deo jam devovi; quare tibi de ejuſdem oblationis merito participare fas eſt; rem vero poſſidere, aut ea uti, nefas. Judæorum doctores, ſi quibuſdam fides, integrum pronuntiabant obæratis, ut fenera-

(*a*) Joan. VII. 2.
(*b*) Matth. XIV. 36. Marc. VII. 1. Marc. VI. 56.
(*c*) Matth. XV. 5.

neratorum diſpendio æs alienum Deo conſecrarent, tanquam ſi non aliena, ſed ſua offerrent (*a*). Secreta tamen plerumque conditione Deo res vovebant, ne illarum ipſi uſu prorſus ſpoliarentur. Porro hæc promovebant Phariſæi, fortaſſe quod lucellus in ſuum cenſum inde proveniret. De illis autem aſſeruit Chriſtus prophetaſſe Iſaiam, ubi ait, nonnullos Deum labiis colere, corde interim longe vagante (*b*), quorum religioni nulla merce expectanda ſit, cum ſpretis divinis, humanas leges & traditiones ſectarentur. Relictis autem hic Phariſæis, converſuſque ad turbas, palam edixit, hominem inquinari non iis quæ per os demittuntur, ſed iis quæ inde emitterentur. Cum e populo ſe recepiſſet, narrantibus Diſcipulis, Phariſæos ejus verbis ſcandalum paſſos fuiſſe, reſpondit Jeſus, Phariſæorum traditiones planas eſſe, quæ, cum illas Pater Cæleſtis non ſeverit, erant perituræ, evellendæque; ipſorum vero ſcandalum minime curandum, quod cæci eſſent, duceſque cæcorum, certuſque maneret in foveam lapſus tam ductos, quam ductores. Cum vero Petrus minus ſe, ceteroſque Apoſtolos aſſecutos diceret ſenſum illorum verborum, nihil ſcilicet eorum quæ per os dimitterentur, hominem inquinare, reſpondit Jeſus, nihil revera cibi potuſve in animum, cui uni labes & macula ab homine timenda eſt, penetrare; ſed demitti in ſtomachum, ibiqui decoqui;

A 2 tum

(*a*) Capell. in eum- dem Matthæi locum ex Origen.

(*b*) Iſai. xxix. 13.

tum quæ alendo corpori apta non ſunt, per ſeceſſum abire; viciſſim vero quæ ex hominum ore egrederentur, e corde prius animoque procedere, proindeque criminis reum conſtituere, uti jurgia, mendacia, perjuria, blaſphemiæ, & inhoneſta omnia. Hæc, ait, hominem coinquinant; non vero cibi, quamvis non lotis manibus ſumantur.

Mulieris Chananææ fides. II. Jeſus Capharnao profectus, ad finitima Tyri & Sidonis venit, latendi deſiderio, quod tamen minime aſſecutus eſt (*a*). Quædam enim mulier Chananæa ad ipſum venit pro ſanitate filiæ ſuæ, quam Dæmon torquebat, rogatura. Ubi igitur illum in itinere conſpicata eſt, clamare cœpit: *Miſerere mei, Domine, Fili David*. Nihil ad hæc reſpondente Jeſu, eaque idcirco preces majori voce ingeminante, Magiſtrum monuerunt diſcipuli, ne miſeram deſpiceret; quibus reſpondit, ſe nonniſi ad errabundas oves gregis Iſraelis reducendas veniſse; ac ſi diceret, nihil ad ſe de Ethnicis, qualis erat illa femina, pertinere (*b*). Cum ad quamdam domum veniſset, & ante pedes provolutam, enixiuſque rogantem feminam haberet, iniquum eſse, ait, panem filiorum dare canibus. Tum illa: Canis equidem ſum, alieno Judæorum, quos loco filiorum habes, genere ſata: at catelli de micis e domini menſa decidentibus veſci permittuntur. Ea fides & admirationem, & ſanitatem a Chriſto extorſit. S. Marcus hanc mulierem

Græ-

(*a*) Matth. XV. 21. Marc. VII. 24.

(*b*) Vide hanc Hiſt. l. 13. c. 4. n. 13.

Græcam Syropheniſſam vocat. Græcam quidem Religionis cauſa, cum Ethnici a Judæis tunc temporis Græci appellarentur. Syropheniſsam vero, quod Phænicia Syriæ Provincia cenſeretur.

Vir ſurdus & mutus curatur.

III. E finibus Tyri profectus eſt Septemtrionem verſus uſque Sidonem; tum ad Orientem converſus ad radices Libani, Jordanem tranſivit circa vel ſupra illius fontes, & ad Meridiem rediit per mediam Decapolim ad Lacum Geneſareth. Porro Decapolis regio nomen trahit a decem præcipuis urbibus, aliis citra, aliis ultra Jordanem, in ea contentis, quarum potiſſima eſt Scythopolis, alio nomine Bethſan, quam Scythæ invaſere (*a*). Dum verſaretur in hac regione, oblatum ſibi hominem ſurdum mutumque ſeorſum ab aliis deducens, poſitis in auribus ejus digitis, atque ſua ſaliva delinita viri lingua, oculos ad Cælum ſuſtulit, gemenſque ait: *Ephphetha*, hoc eſt, quidquid clauſum eſt, aperiatur; ſtatimque gemino morbo curatum dimiſit. Præcepit autem tum illi, tum ceteris qui aderant, ne prodigium vulgarent; verum quo ille præcipiebat inſtantius, eo altius omnes prædicabant, ipſum bene omnia feciſse, ſurdoſque donaſse auditu, & mutos loquela.

Septem panes cũ piſciculis quibuſdam multiplicantur.

IV. Montem deinde conſcendit, eumdem fortaſſe, in quo paulo ante quinque hominum millia aluerat, ibique triduum egit, quo temporis ſpatio cum plurima ægrotantium multitudo

(*a*) Marc. VII. 32. Plin. l. 5. c. 18. Georg. Syncell. p. 214.

ad montis radices conveniſſet, ejuſque deſcenſum operiretur, omnes ſanitati reſtituit. Monuit poſtea Diſcipulos, turbam triduo in deſerto ſubſiſtentem omni jam annona deſtitui; ſe ſe autem eorum miſereri, nec velle jejunos dimittere, ne forte, antequam ad propria remeaſſent, inedia deficerent. Arctior illis erat ſeptem panum & piſciculorum quorumdam commeatus, qui ut omnibus, quatuor nempe circiter millibus, præter feminas pueroſque, ſufficeret, inſigni prodigio multiplicatus eſt. Quin ſeptem ex reliquiis impleti ſunt caniſtri (*a*).

Iterum Jonæ ſignum Phariſæorum fermentum. V. Secundum hæc, conſcenſo navigio in Magedan, ſive Dalmanuthæ confinia venit. Porro Magedan locus erat ad mare Tiberiadis, ſive Geneſareth ſitus, & fortaſſe in orientali ejus maris ripa (*b*). Brocardus tamen autumat Magedan, ſive, ut a Saracænis dicitur, *Me-Dan*, Aquæ Dan, eſſe fontem Jordanis ad radices Libani, vulgo *Dan* appellatum. Alii *Magdalam* præferunt circa Gadaram & Tiberiadem. Sunt tandem qui Magedam in *Mageddo* trans Jordanem in dimidia Tribu Manaſſis conſtituant; quod a vero abludere videtur. Dum igitur in Magedan Chriſtus eſſet, a Phariſæis & Sadducæis rogatus, ut ſignum aliquod de Cælo exhiberet, mirari ſe, reſpondit, cur ipſi, qui varias Cæli facies noſcere, viceſque aeris diſtinguere profiterentur, non ſatis tamen artem callerent diſtinguendi tem-

pus,

(*a*) Matth. xv. 32. Marc. VIII. 1.

(*b*) Euſebius & Hieronymus.

pus, quo Meſſias a Prophetis venturus prænunciabatur, legendique characteres illius, quos ipſe in ſe præferebat. Adjecit tamen, ut pari in re alias dixerat, ſe nullum aliud ſignum exhibiturum, quam ſignum Jonæ; relictiſque continuo illis, maritimo itinere Bethſaidam contendit (*a*). Cum vero Apoſtoli commeatu ſibi providere neglexiſsent, nec niſi unicum panem ſecum haberent, monuit illos Jeſus, ut a Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodianorum fermento caverent. His auditis, putarunt, Chriſtum vetaſse, ne panem ab hoc hominum genere ſibi emerent, angebanturque ob annonæ defectum. Verum Chriſtus errorem depulit, exprobravitque fidei illorum imbecillitatem, revocans in memoriam duplex illud prodigium, quorum ipſi teſtes fuerant; alterum nempe, quo quinque panibus quinque hominum millia, alterum, quo quatuor millia ſeptem panibus aluerat. Tunc demum intellexere, fermenti Phariſæorum nomine, ipſorum doctrinam moreſque ſignificari (*b*).

Antiquæ Judæorũ Sectæ. Phariſæi, & Sadducæi.

VI. Phariſæi, Sadducæi, & Herodiani tres erant ſectæ apud Judæos ætate Chriſti ſatis florentes. De Phariſæis, & Sadducæis alibi ſat ſuperque diſputatum eſt (*c*). Hæc modo retuliſse pro præſenti inſtituto ſufficiat. Fermentum Phariſæorum in hypocriſi præſertim, ac ſuperſtitioſo paternarum traditionum amore conſiſtebat; Sadducæorum vero in peſſima il-

(*a*) Matth. xv. 39. Marc. VIII. 13. Marc. VIII. 10.

(*b*) Matth. XVI. 4. l. 9. c. 19. n. 3.

(*c*) Vide hanc Hiſtor.

la perſuaſione, quod nulli eſsent Angeli, nulli Dæmones, nulla mortuorum reſurrectio, nulla animorum immortalitas, nullumque præmium aut ſupplicium in altera vita. Rejiciebant etiam Sadducæi quamcumque Veterum traditionem, molliöremque ac faciliorem ducebant vitam.

Herodiani. VII. De ſecta Herodianorum in varias abitum eſt ſententias, quarum præcipuas hic recenſere operæ pretium eſt. Sunt igitur, qui Herodianos habuiſſe pro Meſſia Herodem, defendant. Sed quem Herodem? Plerique favent Herodi Magno, alii Herodi Antipæ, illius filio. Placuit multis, Herodianos fuiſse gentem e ſatellitio Herodis Antipæ, qui ſive curioſitatis, ſive aſſentationis in Principem gratia, junxerint ſe Phariſæis, ut tentarent Jeſum Chriſtum, quid de ſolvendo tributo ſentiret. Malunt alii Herodianos politicos fuiſſe quoſdam, faventes dominationi Herodis & Romanorum contra illos ex Judæis, qui pro gentis libertate certabant. Quidam putant, Herodianos cœtum exhibuiſſe hominum coactum in honorem Herodis, uti ſodalitatem Auguſti inſtitutam Romæ ſcimus, cujus ſodales dicti ſunt *Sodales Auguſtales*. Viſum eſt nonnullis, Herodem Magnum duo inſinuaſſe; docebat primo, Romanorum imperio, utpote juſto & legitimo, Judæos ſubmitti oportere; deinde, in rerum præſentium circumſtantiis nulla prohiberi Judæos religione, ut mores plurimos Paganorum, quamvis ſuperſtitioſos & impios, adoptarent (*a*). Qui in haſce opiniones ibant,

He

(*a*) Joſeph. Antiq. l. 15. c. 12.

Herodiani dicebantur. Herodiani tandem, ſi quoſdam audias, ſunt Judæ Gaulonitis ſive Galilæi aſſeclæ, qui cum Phariſæis per omnia conveniebant, in eo tantum ab illis diſtincti, quod ſummo tenerentur pro libertate ſua amore, perſuaſi, uni tantum Deo ſubjectos eſſe Judæos oportere. Dicebantur autem Herodiani, quod originem traherent ex Galilæa, provincia ſcilicet Herodi Antipæ ſubjecta. Quicumque tandem fuerint Herodiani, dogmata ſpargebant virulenta, cum Jeſus cavendum edicat non minus ab eorum fermento, quam a Phariſæorum & Sadducæorum. Hæc porro Diſcipulis mandavit, dum adhuc eſſet in navicula.

Cæcus ſanatur.

VIII. Bethſaidam appulſus cæcum nactus extra urbem deduxit, linitiſque ſaliva oculis, impoſitiſque manibus, hominem rogavit, num aliquid videret. Reſpondente illo, cernere ſe homines veluti arbores inambulantes, Jeſus iterum manu oculos tangens, ſanum remiſit, juſſum tamen, ne rem illam cuiquam proderet (*a*).

Eximia Petri de Chriſto confeſſio.

IX. Relicta Bethſaida, cum Jeſus longius in plaga meridionali, qua parte Paneadem, Cæſaream deinde in honorem Cæſaris Auguſti a Philippo appellatam, reſpicit, excurriſſet, a Diſcipulis? Ecquid de ſe homines ſentirent, quæſivit. Reſponderunt illi, ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, ab aliis Joannem Baptiſtam, vel alium ex Prophetis, reputari. Ex quo reſponſo patet, opinionem de animorum tranſmigratione mentibus Judæorum alte inſe-

diſ-

(*a*) Marc. VIII. 12.

diſſe. Niſi mavis dicere, id tantum Judæos voluiſſe, eumdem ſcilicet eſſe Chriſto fervorem, mores, doctrinam, ſententias, quibus viri illi inſignes inſtructi fuerant. Iterum autem Jeſus, quid ipſimet de ſe cogitarent? interrogavit. Statim Petrus: *Tu es*, inquit, *Chriſtus Flius Dei vivi* (*a*). Egregiam viri confeſſionem non laudavit tantum Jeſus, utpote quam non homo aliquis, ſed Pater cæleſtis revelaſſet, verum & pollicitus, ſuper ipſum, qui Petra eſſet, ſe conſtructurum Eccleſiæ ædificium firmum adeo, ut nullis Dæmonum viribus dejiceretur; daturum inſuper in ejus poteſtatem claves Regni Cælorum, ut quodcumque ipſe in Terris ligaſſet, ſolviſsetque, illud pariter in Cælo ligaretur, ſolvereturque. Porro ſolvere & ligare idem ſonat ac aperire & claudere. Olim quippe ſoluto vecte aperiebatur, claudebatur vero colligato. Perſpicuum autem eſt, his nedum confirmari Petro Apoſtoli dignitatem, qua diu antea illum, ſocioſque ornaverat, ſed & ipſi promitti peculiarem quamdam, ſupremamque inter ceteros poteſtatem, quam indicat clavis. Legimus enim de Filio Dei: *Aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit* (*b*). Interdum clavis eſt auctoritas, vel munus primi Miniſtri apud Principem. Promittit Iſaias Eliacimo, futurum ut ſupremam apud Reges Juda adminiſtrationem aſſequatur: *Dabo clavem Domus David ſuper humerum ejus; & aperiet, & non erit qui claudat;*

(*a*) Matth. XVI. 13. Marc. VIII. 27.

(*b*) Apoc. III. 7.

dat; & claudet, & non erit qui aperiat (*a*). Huc facile Chriſtus alluſit. Quamvis ergo & ceteri Apoſtoli fundamenta ſint, & columnæ Eccleſiæ (*b*), habeantque poteſtatem ligandi, atque ſolvendi (*c*), Petrus tamen, ejuſque ſucceſſores Romani Pontifices, Principatus & juriſdictionis prærogativam a Chriſto traditam obtinuere. Fertur, Hebræos, cum ſuos doctores pronuntiarent, claves illis tradidiſſe, ſimul addentes: *Accipe poteſtatem ligandi, atque ſolvendi*; ut eo ritu innuerent, illos a ſe eligi, ut ceteros edocerent, explicarent myſteria, & difficillima Legis & traditionis loca explanarent. Si Chriſtus ritum hunc ſpectavit, ut quidam volunt (*d*), minime tamen inde fieret, ut Petrus ampliorem non haberet poteſtatem, quam Synagogæ doctores. Petrus enim ab ipſomet Chriſto, qui Deus erat, auctoritatem accepit; doctores vero Judæorum a ſuis ſimilibus accipiebant. Hinc Petri poteſtas ad Cælum uſque porrigitur, animas hominum menteſque afficit, novas condit leges, nulli hominum poteſtati ſubjicitur, irreformabilis eſt, ejuſque judicia Spiritus ſancti reſponſa cenſentur; quæ quidem de Judæorum doctoribus verificari non poſſunt.

Petrus Satanas dictus.

X. Secundum hæc, Chriſtus Apoſtolis præcepit, ne Meſſiæ dignitatem, quam in ipſo agnoſcebant, ceteris manifeſtarent (*e*), ſimulque

(*a*) Iſa. XXII. 2.
(*b*) Epheſ. II. 20. Galat. II. II.
(*c*) Matth. XVIII. 18. Luc. IX. 21.
(*d*) Ligfoot. Hor. Talm. ad Matth. XVI.
(*e*) Matth. XVI. 20.

que prædixit, ſe Judæorum contemptui objiciendum, a Scribis & Phariſæis rejiciendum, Hieroſolymis perimendum, ac tandem a mortuis excitandum. Quæ cum audiſſet Petrus, minus æque tulit, deductumque ſeorſum Magiſtrum monuit, ut illa omnino averteret. Sed Jeſus ad ceteros Apoſtolos converſus, dure ipſum Petrum redarguit: *Vade*, inquiens, *retro me, Satana: ſcandalum mihi es*; nimirum, Abſcede, adverſarie; ſuades, quæ mihi detrimento forent. Tum accitas turbas, ut opprobrii & ſuppliciorum metum à Petro ceteriſque Apoſtolis arceret, ita eſt allocutus: Quiſquis meos inter Diſcipulos recenſeri cupit, opus eſt, propriis cupiditatibus ſe ſe abdicet, meque inter ærumnas & probra ſectetur, feratque crucem non uno aut altero die, ſive anno, ſed conſtanter ad mortem uſque. Vitam tueris, ubi illam cauſa mei prodegeris; perdis, ubi eam Fidei & Religionis jactura ſervaveris. Neque ſolam corporis vitam eo rerum articulo perderes; ſed animæ quoque, multo pretioſiſſimam quam corporis. Quamobrem ſi nihil eſt, quo vita corporis compenſari jure queat, nihil profecto erit, quo amiſſa animæ vita reparetur. Ultionis & præmiorum tempus non multum diſtat. Quem ad nominis mei confeſſionem coram hominibus puduerit, me pariter illius, cum venero in majeſtate mea Mundum judicaturus, coram Patre meo, ejuſque Angelis pudebit. *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium Hominis*

nis venientem in Regno ſuo (*a*). Veterum plures hæc verba de Transfiguratione, cujus ſex poſt dies futuri erant teſtes nonnulli ex Diſcipulis tunc præſentes, cum hæc dicerentur, interpretantur. Alii de generali Judicio uſurpant; quam ſententiam ut tueantur, contendunt, Joannem Evangeliſtam mortem non obiiſſe. Verum de Joannis obitu plura poſtea dicemus. Interim notandum, Chriſtum non de uno tantum ſuperſtite, ſed de pluribus locutum fuiſſe: *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*. Alii igitur de Chriſti Reſurrectione (*b*), alii de Eccleſiæ inſtitutione (*c*), alii tandem de ultione Judæis per Romanos illata (*d*). Nonnulli certe ex iis qui tunc aderant, Judæorum excidio ſuperſtites fuere, cum poſt 40. tantum annos contigerit.

XI. Poſt ſex ab illa promiſſione integros dies, vel poſt octo inchoatos, tres Apoſtolos Petrum, Jacobum, & Joannem illius fratrem, in editum montem ſeorſum Chriſtus adduxit, ſtatimque orare aggreſſus eſt. Tunc Divinitatis illius gloria in ore, Solis inſtar, emicuit, & beatitudo, qua illius animus abunde cumulabatur, toto corpore effulſit. Veſtes quoque niveo candore nitebant. Interim tres illi Apoſtoli in ſomnum ſenſim deflexerant, quod tum nox ſubiret, ut nonnulli autumant; ſed vividæ lucis illius ſplendore excitati, Transfigurationis *Transfiguratio.*

(*a*) Matth. XVI. 21. Marc. VIII. 31. Luc. IX. 22.
(*b*) Grot. Scultet.
(*c*) Greg. Beda.
(*d*) Hammond. Cappell. Cler. Calm.

nis Chriſti oculati teſtes facti ſunt. Viſi ibi pariter Moyſes & Elias, qui ſermonem cum Jeſu de *exceſſu* in Hieruſalem futuro miſcebant, de futura ſcilicet ipſius paſſione & morte, Hieroſolymis toleranda, vel de excidio, quod Urbem illam manebat. Moyſes Legem ſignificat, Elias Prophetas. Porro duos hoſce magnos viros Transfigurationis ſuæ comites eſſe voluit Chriſtus, ut de ſe teſtari Legem & Prophetas, Apoſtoli intelligerent. Erant ne ibi revera Moyſes, & Elias, an tantum ſimulacra? Ignotum. In vivis adhuc erat Elias, ac naturali corpore ſe ſe exhibere potuit. Si idem præſtitit & Moyſes, in vitam fuerat prodigio revocandus. Fac, revocatus ſit: obiit ne iterum, an inter viros deinceps ſervatus eſt? Hoc etiam ignotum. Geminos autem hoſce viros cognoverunt Apoſtoli, interiori Spiritus ſancti lumine docti; vel quod illos Chriſtus de nomine compellarit; vel quod ipſos eſse, Chriſtus e monte deſcendens docuerit; vel quod ex ipſorum deſcriptione, ſæpe a majoribus tradita, illos cognoverint; vel tandem quod Elias igneo curru, Moyſes vero Tabulis Legis, aut alio quodam ſigno diſtinguerentur. Viſo tanto ſpectaculo Petrus, animadvertenſque, Moyſem & Eliam parare diſceſsum, propoſuit Jeſu, num vellet tria ibi fabricari tentoria, quorum unum ipſi Jeſu, reliqua vero Moyſi & Eliæ aſſignarentur. Hæc autem dicebat extaſi extra ſe factus, minuſque, quid diceret, conſiderans. Quorſum enim tria tabernacula? Nonne opportunius erat unum tribus

bus ſimul Jeſu, Moyſi, & Eliæ? Aut futurum putabat, ut erectis ibi tabernaculis, ad manendum ſemper, vel ad moram ſaltem diu in eo monte prorogandam facilius illi impellerentur? Sub finem ſpectaculi fulgida nubes deſcendit, qua Jeſus, Moyſes, & Elias obvoluti ſunt, ingenſque ſimul audita vox: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complaceo; ipſum audite*. Ad vocis illius tonum obriguentes Apoſtoli, in terram proſtrati ſunt. Sed ſtatim accurrens Chriſtus ſe ſeque ſolito corporis habitu exhibens, & ſine Moyſe & Elia, qui diſſipata jam nube evanuerant, eos confirmavit, erexitque. Cum vero ortus jam eſset Sol, Jeſus e monte deſcendit tribus illis Apoſtolis comitatus, quibus juſſit, nemini uſque ad Reſurrectionem viſionem illam revelarent. Cur autem non ante Reſurrectionem? Fortaſse quod res fide apud ceteros caruiſset; ſive quod ii, qui fidem narrantibus habuiſsent, offenſi fuiſsent, ſeque deceptos credidiſsent, ubi Salvatoris ſupplicia & crucem intuerentur. At peracta Reſurrectione, prodigio omnium maximo, ac maxime conteſtato, nihil non credibile reddebatur (*a*).

Eliæ in fine Mundi adventus.

XII. Quamvis autem Apoſtoli minime aſſecuti fuiſsent, quid rei eſset Reſurrectio, de qua Chriſtus loquutus fuerat, ab eo tamen quærere auſi non ſunt. Interrogarunt nihilominus: eccur Judæorum doctores traderent futurum, ut Elias iter Meſſiæ paraturus aliquando veniret? Idcirco autem Apoſtoli id interrogaſ-

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 12. c. 18. n. 2.

rogaſse creduntur, quod Elias paulo ante evanuiſſet, ipſius vero apparitio inutilis prorſus videretur; quippe quæ ex Chriſti præcepto manifeſtari non poterat. Convertendis autem populis ad Jeſum e re eſſe putabant, ſi Eliam veniſſe, ipſos non lateret. Reſpondit Jeſus: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt* (*a*). Hoc eſt: Veniet quidem aliquando Elias in propria perſona ut omnia reſtituat, ſcilicet ut Eccleſiam cum Synagoga, & Synagogam cum Eccleſia ſub ſæculorum exitum qua prodigiis, qua prædicationibus concilicet, perficiatque Meſſiæ Regnum, omnibus in illud introductis. Si vero Eliæ virtutem ſpectetis, illum jam veniſſe affirmo, quem Judæi agnoſcere recuſarunt, & pro arbitrio ſanctiſſimum virum vexarunt; nec æquiores illos in Filium hominis futuros ſperandum eſt. His auditis Apoſtoli de Joanne Baptiſta Chriſtum loqui intellexerunt; de quo ſane nemini dubitare licet, quantum ad poſteriora Chriſti verba. Quantum vero ad priora, quæ ex communi Patrum ſententia de Elia in propria ipſius perſona interpretati ſumus, pernegant Camero, Grotius, Ligfootus, Hammondus, Clericus, aliique ex Acatholicis, putantes, communem Judæorum, & Chriſtianorum perſuaſionem de adventu Eliæ una cum Henocho in fine Mundi adverſus Antichriſtum prædicaturi, ad fabulas eſſe rejiciendam. At Chri-

(*a*) Matth. XVII. 11.

Chriſtus loquitur de futuro Eliæ adventu. Joannes autem jam venerat. Præterea, jure ne dixeris, Joannem *omnia reſtituiſſe*, quemadmodum hic de Elia Chriſtus vaticinatur? Joannem ne præceſſiſſe horribili Domini diei: *Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, ut habet Malachias, ubi de adventu Eliæ diſſerit (*a*)?

Varia de Transfiguratione dubia ſolvuntur.

XIII. Voluit autem Chriſtus ſpecimen ſuæ gloriæ oſtendere, ut Diſcipuli, qui transfigurationem vidiſsent, minus paſſionis illius mortiſque ſpectaculo offenderentur. At cur omnibus Apoſtolis gloriam ſuam non oſtendit? Quod eam latere volebat, ægre impetraturus, ſi plures fuiſsent. Ceterum communis Jeſu Chriſti inter homines vita, atque exterior humilitas, vera ſemper fuit transfiguratio, cum eo habitu cerneretur qui illius dignitatem minime deceret; gloria vero transfigurationis naturalis eſſet illius conditio. Quamobrem perpetuo opus erat prodigio, ut illius majeſtas coerceretur, ne in ipſius ore fulgeret; ſoluta vero naturalium cauſarum vi, ſtatim qualis erat, apparuit. Quamvis autem transfigurationis mons fere omnibus Thabor fuiſſe credatur, id tamen impugnatoribus non caret (*b*). In ipſo ſane Thaboris vertice planities erat, ſex & viginti ſtadiis patens; locus & incolis frequens, & mænibus clauſus, ſi Joſepho & Po-

(*a*) Malach. IV. 6. (*b*) Maldon. Ligtſoot. Vide hanc Hiſtor. l. 1. Reland. Calm. c. 7. n. 10.

Polybio fides (*a*). Chriſtus autem remotum deſertumque montem elegiſſe credendus eſt. Adde, quod Thabor venientibus Cæſarea Philippi Capharnaum, ut fecit Jeſus, non occurrat. Sunt igitur qui Libanum, aut alium montem, nobis ignotum, præferant.

Jeſus Lunaticum curat, ſolvitque didrachma. Diſceptatio Apoſtolorum. Varia ſalutis monita. Correptio fraterna. Jeſus ad Feſtum Pentecoſtes Hieroſolymam contendit. Septuaginta duo Diſcipuli ad Fidem annuntiandam mittuntur. Parabola Samaritani.

CAP. II.

ANNO MUNDI 4032. Chriſti 32. Æræ Vulgaris 28.

Lunaticus curatur.

I. JEſus ac tres Diſcipuli mane alterius diei e transfigurationis monte deſcendentes, eo venere, ubi ceteri Apoſtoli in frequenti populo cum Scribis altercabantur. Ubi Jeſum vidit multitudo, illi occurrens, magno cum obſequio excepit; cumque requiſiſſet Jeſus, quid jurgiorum in cauſa eſſet, unus quiſpiam procumbens coram illo ſignificavit, Scribas cum Diſcipulis diſputare, quod valetudini filium ſuum illis oblatum reſtituere non valuiſſent; orare autem ſe, ut ipſe illum curaret, incolumemque reſtitueret, epilepticum, lunaticum, atque a muto Dæmone obſeſſum, cujus vi miſer in ignem, in aquam interdum impellebatur, diſcruciabaturque ſæviſſime, ita ut inconditos

(*a*) Joſeph. de Bello Polyb. l. 5. c. 70. l. 4. c. 6. & de vita ſua.

ditos clamores ederet, frenderet dentibus, ſpumas ore vomeret, totuſque tabe conſumeretur (*a*). Chriſtus autem ad turbas converſus: O generatio, ait, incredula & perverſa! uſquequo ero apud vos? Quouſque vos patiar? Adduci tamen ad ſe puerum juſſit; cumque Dæmon illum magis torqueret, Jeſus patrem, a quo tempore puer ita ſe cœperit habere, quæſivit. Ab infantia, reſpondit alter; ſed tu, ſi quid potes adjuva nos, miſertus noſtri. Dicente autem Jeſu, credenti omnia poſſibilia eſſe, pater in lacrymas reſolutus, credere ſe, ait; rogare tamen ut ſuæ fidei imbecillitas ejus virtute confirmaretur. Minitante tunc Jeſu dæmonem, & ut faceſſeret, præcipiente, abiit malus ſpiritus, expreſſis e pueri ore clamoribus, eoque convulſionibus diſcerpto, quaſi illum necaſſet; necatumque multi credidere. Verum Jeſus apprehenſa illius manu, ipſum e terra elevavit, ac patri reſtituit. Ingreſſus inde domum, ac ſolitarius cum Diſcipulis verſans, rogantibus illis ut quid omnes ſuos ipſorum conatus Dæmon eluſiſſet? ait, ejus rei in cauſa fuiſſe, quod fidei eſſent imbecillioris; tantum autem fidei, quantum ſinapis granum, ejus eſſe virtutis, ut vel montes transferre valeret. Unicam tandem eſſe rationem proficiendi in fide, expellendique ejus naturæ dæmones, orationem, & jejunium (*b*).

Jeſus tributum ſolvit.

II. Ab eo loco, ubi puerum ſanavit, profectus, univerſam Galilæam prætergreſſus eſt,

B 2 ut

(*a*) Matth. xvii. 14. Marc. ix. 15. Luc. ix. 39. (*b*) Matth. xvii. 19. Marc. ix. 18.

ut Capharnaum veniret. Inter eundum Apoſtolorum animos magis ac magis præparaturus, ut paſſionem ſuam æquioribus oculis intuerentur, prædixit, futurum ut ipſe Judæorum manibus permiſſus occideretur, atque poſt triduum ad vitam rediret. Sed illi, cum immortalem Meſſiam, ac terrenum ipſius Regnum præſtolarentur, a ſe extorquere non poterant, ut animum iis quæ a Chriſto dicebantur, accommodarent, quælibet illius dicta vel per parabolam, vel per hyperbolen, numquam penitus explenda, interpretantes. Reſurrectionis tamen nomine aliqua de ipſius Regno ſubodorati, anſam inde cœperunt diſceptandi inter ſe ſe, quis eorum futurus eſſet in novo Imperio ceterorum princeps (*a*). Porro Jeſus & Petrus alios præibant, jamque Capharnaum pervenerant, cum exactores didrachmatis, vel hemiſicli, quæſierunt a Petro, num tributum illud Jeſus ſolvere voluiſſet, quemadmodum ceteri? Affirmavit Petrus, fortaſſe quod id ſuperioribus annis fieri a Magiſtro vidiſſet. Cum primum domum ambo perveniſſent, antequam Petrus quidquam de ea re loqueretur, Jeſus illum interrogavit, quoſnam Reges Terræ ad ſolvendum tributum adigerent, filios ne, an extraneos? Extraneos, reſpondit Petrus. Tum Jeſus: Immunes ergo habentur filii. Quibus verbis tacite deſignavit, ſe, qui Filius eſſet ſummi Regis, tributi lege non cogi. Ne tamen, ſubdidit, ſolvere recuſantes viris illis offendiculo ſimus, ad mare ſtatim te confe-
rens,

(*a*) Matth. XVII. 22. Marc. IX. 30. Luc. IX 37.

rens, quemcumque piſcem, qui primus in hamum venerit, exentera; atque ſtaterem, in ejus ore repertum, in tui meique tributum pende. Ad fidem dictorum omnia; nam captus piſcis ſtaterem, ſive ſiclum argenteum, quatuor drachmis valens, ſub lingua recondebat; qui exactoribus perſolutus eſt. Sed quodnam fuit tributum hoc? Volunt plerique illud fuiſſe, quod nomine Dei & in ipſius Templi uſum, juxta legem a Moyſe præſcriptam, exigebatur (*a*); quod deinde, ſcilicet poſt Templi excidium, juſſu Veſpaſiani Jovi Capitolino impenderunt Judæi (*b*). Noſtrorum temporum Judæi eamdem pecuniam colligunt, convertuntque in eleemoſynæ uſum, præſertim erga eos, qui Palæſtinam religionis cauſa peragrant (*c*). Ajunt nonnulli, didrachma hoc vectigal fuiſſe a Romanis imperatum. Verum quidem eſt, præter tributum Templo exhibitum, aliud a Judæis penſum fuiſſe Imperatori (*d*); at in eo verſatur difficultas, utrum hoc dimidii tantum ſicli tributum fuerit? Id quod hujus ſententiæ patroni numquam evincent.

Contentio inter Apoſtolos de Primatu.

III. Sub hæc, alii Apoſtoli, quos diſceptatio de Principatu diutius in via detinuerat, ſupervenientes, quæſierunt a Jeſu, quis in ipſius Regno major ceteris futurus eſſet? Ille vi-

(*a*) Exod. XXX. 13. Vide hanc Hiſt. l. 3. c. 7. n. 6.

(*b*) Xiphilin. in Veſpaſianum.

(*c*) Schikard. Orat. in Feſt. Purim.

(*d*) Appian. Syriac. Matth. XXII. 16. Marc. XII. 14. Luc. XX. 20.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

viciſſim interrogavit, quid inter ſe venientes diſputaſſent? Siluerunt illi rubore ſuffuſi. Tum Jeſus illum ceteris præſtiturum dixit, qui ſe ceteris ſubmiſiſſet. Accito deinde puero, quem nonnulli Græci (*a*) Ignatium Antiochiæ Epiſcopum, ac Martyrem nobiliſſimum fuiſſe credunt, conſtitutoque in medio diſcipulorum: Niſi inania hæc, inquit, ambitionis & principatus deſideria reliqueritis, nulla vobis in Regno meo pars futura eſt. Puerum iſtum ceu exemplum ſimplicitatis, innocentiæ, & humilitatis, quibus ornari vos oportet, propono.

Alienus quidam invocato nomine Jeſu Dæmones pellit.

IV. Narravit tunc Joannes, vidiſſe ſe, ſociosque quemdam, qui Dæmones, Jeſu nomine invocato, pelleret, quamquam a Diſcipulorum cœtu eſſet alienus; prohibuiſſe autem, ne quid ultra auderet. Negavit Jeſus prohibendum; quod virtutem ſuam ille cognoſceret, ceteriſque conſpicuam faceret; nec male de ſe loqui, aut ſuam deſerere cauſam non poſſet, quin contraria ac invicem pugnantia tueretur; quicumque autem contra ſe non ſtaret, eum pro ſe reputari (*b*). Iſte prodigiorum patrator Chriſto fortaſſe credebat, illius doctrinam, non vero perſonam ſectatus.

Diſcipuli Chriſti excipiendi, non ſcandalizandi.

V. Rediens autem Jeſus ad interrupta de humilitate documenta, ita proſecutus eſt: Quamvis ego omni Mundi gloria Diſcipulos meos expoliatos velim, quiſquis tamen aliquem ex illis, puerorum ſimplicitatem imitantibus, exceperit, me excipiet, mihique ipſi præſtitum puta-

(*a*) Apud Anaſtaſ. Bibliothec.

(*b*) Marc. IX. 38. Luc. IX. 49.

putabo quidquid officii erga illum impendetur, ut ne calici quidem aquæ nomine meo illis collato merces ſit defutura. Qui vero illos male exceperit, atque a mea fide & ſervitute ſuis verbis, vel exemplis abducere molitus fuerit, duriſſimis cruciatibus ſubjicietur, optabiliuſque ipſi eſſet, ut mola quam aſinus terendis frumentis torquet, in ejus vollo ſuſpenſa, mari mergeretur. Væ iis, qui dant accipiuntque ſcandala! Scandala oriri neceſſe eſt; miſer tamen ille cujus res ita ſe habent, ut per ipſum ſcandala oriantur. Tametſi amicus, aut ſanguine propinquus, ſive etiam manus, pedis, oculi loco tibi ſit, qui te a recto tramite retrahit, illum removeto; præſtat enim amico, propinquo, vel aliqua corporis parte carere in hoc Mundo, ac deinde in Cælum intrare, quam animæ jacturam facere, aut æterna ſalute periclitari, projicique *in gehennam, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur*. Alluditur hic ad duplicem cadaverum ſtatum: ſepulta vel projecta cadavera cibus vermium ſunt; cremata vero pabulum ignis efficiuntur. Hæc damnatorum, pœniſque Inferni addictorum imago (*a*). Porro ignem Inferni verum eſſe, materialemque, non dubitamus; quin & ad fidem id pertinere cenſeremus (*b*). Ad vermes autem quod ſpectat, ſive veros, materialeſque in Inferno conſtitutos teneas, ſive metaphoricos, conſcientiæ ſci-

B 4 licet

(*a*) Vide hanc Hiſt. q. 9. d. 3. Vide Berti l. l. 12. c. 2. n. 3. 10. c. 17.

(*b*) Gotti de Angelis

licet ſtimulos intelligas, plures utriuſque ſententiæ Auctores habebis. Ceterum nec vermes a vorando, nec ignis ab urendo umquam ceſſabunt, ſecus ac in cadaveribus uſu venire experimur. Impii enim, ait Chriſtus, apud Inferos divini furoris victimæ ſunt: hinc igne numquam ceſſaturo ardebunt, & vermi numquam morituro abrodentur; quemadmodum perficiendis ſacrificiis, a Moyſe præſcriptis, numquam non præſto ſunt ignis & ſal (*a*). Sal ſapientiæ plurimi faciendum, curandumque diligenter; nam ſicuti ſal vulgare ſapore amiſſo inutile eſt, atque ab altero ſale reparari nequit; ita ſi percepta ſapientia intra vos vim amiſerit, nulllus erit, qui vos deinde inſtruat, cum vos Deus conſtituerit ut ceteros omnes doceatis. Una autem cum ſapientia pacem, concordiam, humilitatemque cuſtodite (*b*). Cavete etiam ne quem Fidelium meorum, quamvis minimum, contemnatis; his enim cuſtodes ac defenſores ſunt Angeli, quibus Dei ſolium in Cælis ſtipatur; eoſque tanti fecit Filius Hominis, ut illis ſalvandis in Mundum venerit. Hæc autem illuſtraturus propoſuit parabolam hominis, qui cum centum oves ſibi haberet commiſſas, nonaginta novem in montibus relictis, palantem unam queritat, inventæque gratulatur magis quam ceteris omnibus, quas numquam amiſit (*c*).

VI.

(*a*) Levit. II. 13. Levit. v. 12.

(*b*) Matth. XVIII. 6.

(*c*) Marc. IX. 41. Matth. XVIII. 15.

VI. Regulas deinde tradidit Chriſtus, ut fraternam correptionem rectiſſime exerceas. Primum monendus eſt delinquens, nullo adhibito teſte. Si ſalutis monita audiens, mores correxerit, tu illum ſervaſti; nec ultra progrediendum erit. Si vero ille clam monentem ſpreverit, coram uno, vel duobus teſtibus illum argue, quo ſe ſe a pluribus damnari intelligat, criminiſque gravitatem agnoſcat. Si & tua & teſtium monita aſpernatus fuerit, crimen defer ad Eccleſiam. Si tandem neque Eccleſiam veritus fuerit, ſuaque in pertinacia perſeveraverit, illum Ethnici, & Publicacani loco habeto, nullumque cum eo fœdus tibi eſto, quem Eccleſia anathemate excluſum pronuntiaverit; futurum namque eſt, ut is, qui Prælatorum ſententia excluſus fuerit ab Eccleſia, revera in Cælis anathemate inuſtus cenſeatur; qui vero peccatum confeſſus, demiſſo animo ſe ſe Eccleſiæ ſubjecerit, atque abſolutionem retulerit, veriſſime in Cælis ſolutus exiſtimetur. Si mutuám caritatem, & concordiam colueritis, annuentem ſemper Patrem cæleſtem veſtris poſtulatis habituri eſtis; ipſe enim medius veſtrum futurus ſum, pro vobis rogans, veſtraſque poſtulationes auctoritate mea fulciens (*a*).

Regulæ fraternæ correptionis.

VII. Cum fraternæ correptionis leges traderet Chriſtus, inter alia fratri pœnitenti, nedum ſemel, aut bis, ſed ſepties parcendum, dixit. Dubitanti autem Petro, quærentique, an ad verbum hæc uſurpanda eſſent, reſpondit,

Quoties parcendum.

(*a*) Matth. XVIII. 10.

dit, non ſepties tantum parcendum, ſed & ſeptuagies ſepties, nempe quater centies & nonagies, hoc eſt, quoties peccaverit. Ut vero magis magiſque parcendi facilitatem commendaret, parabolam propoſuit ſervi, cui Rex decem millium talentorum debitum condonaverat; nec tamen ille alteri conſervo, dilationem roganti ſuper centum tantum denariorum debito, acquievit, ſed carceri ipſum mancipavit; qua inhumanitate commotus Rex malum ſervum in carcerem pariter truſit, quo uſque totum debitum penderet. Tantumdem, addidit Chriſtus, cum illis aget Deus, qui fratribus in ſe peccantibus veniam indulgere recuſarint (*a*). Anne Deus pecata jam remiſſa iterum revocat, biſque ea judicat, & punit, contra ac alibi fert Scriptura (*b*)? Nonnulli ſane Patres eo ſpectare videntur (*c*). Sed omnia conciliari poſſunt, ſi dicamus, peccata jam remiſſa iterum revocari ob ingrati animi vitium, quod ipſis conjungitur; adeo enim hoc poſteriorum criminum gravitatem auget, ut Deus illa multo ſeverius puniat, quam ſi nulla ſuperiorum venia præceſſiſſet (*d*).

Chriſtus Samaritanis parcit.

VIII. Imminebat jam Feſtum Pentecoſtes; cumque Jeſus ea occaſione Hieroſolymam iret, viros nonnullos in quamdam Samaritanorum urbem, parando ſibi ſociiſque hoſpitio, præmiſit; ſed a Samaritanis, ne locum ingrederentur,

tur,

(*a*) Matth. XVIII. 21. Gregor. Chryſoſt.

(*b*) Nahum I. 9. juxta LXX. Rom. XI. 29.

(*c*) Origen. Auguſt.

(*d*) Ambroſ. Thom. Vide Calm. in Matth. ibid.

tur, prohibiti ſunt. Alio tempore (*a*) forſitan excepiſſent; ſed tunc renuerunt, quod Chriſtus ſuo in Hieruſalem itinere Samaritanorum ritus ac Religionem damnare videretur. Id ægre ferentes Jacobus & Joannes, filii Zebedæi, petierunt a Jeſu, num vellet ut ignem e Cælo ſuper urbem illam deducerent? Quibus ille: Mea conſilia, meumque ſuavitatis ac clementiæ ſpiritum, quem vos imitari oportet, nondum agnoſcitis; ego non perdendis hominibus veni, ſed ſalvandis. Hujus forte ardentioris zeli cauſa duo fratres *Boanerges*, id eſt Fulmina, ſive Filii tonitrui, appellati ſunt (*b*).

Quomodo Jeſum ſequi oporteat.

IX. Obtulit ſe quidam, dum ſuum ille proſequeretur iter, fidum totius vitæ comitem ſpondens futurum. Ad quem Jeſus: Vulpibus, ait, ſuæ non deſunt foveæ, nec volucribus nidi; Filio vero Hominis nec locus ſuppetit, ubi caput reclinet. Cum virum alium ad ſui ſequelam invitaſſet Jeſus, permitti ſibi prius ille poſtulavit ut parentem ſuum, tum vita functum, ſepulturæ mandaret. Cui reſpondit: Sine ut mortui ſepeliant mortuos: tu autem vade, & annuntia Regnum Dei. Alii tandem, qui concedi ſibi petebat, ut vale neceſſariis dicere permitteretur, dixit, eum qui manum habet ad ſtivam, retrorſum oculos convertere non oportere. (*c*).

Septuaginta duorum Diſcipulorũ electio & miſſio. Sathanæ lapſus.

X. Cum adhuc Jeſus in Samaritide eſſet, Hieroſolymam proficiſcens, ſelegit duos & ſeptua-

(*a*) Joan. IV. 7. 8. 30 31. III. 17.
(*b*) Luc. IX. 51. Marc. (*c*) Luc. IX. 56.

ptuaginta diſcipulos, quorum opera Evangelium propagaretur. In eamdem rem jam deſtinati fuerant duodecim Apoſtoli; verum Jeſus uberiorem eſſe videbat meſſem, quam ut modicus ille meſſorum numerus ſufficeret. Porro Apoſtoli duodecim inſtar erant duodecim Patriarcharum, duodecim Tribuum auctorum & Principum; duo vero & ſeptuaginta Diſcipuli pro totidem ſenioribus ſunt, a Moyſe electis, ut illi præſto in regimine eſſent (*a*). Diſcipulos, binos ac binos, nempe in ſex & triginta paria diſtributos, præmiſit, veluti ante ambulones, juſſos ea loca prædicatione obire, quæ ſibi poſtea erant pariter obeunda (*b*). Euntibus autem eadem, quæ in ſimili occaſione Apoſtolis antea dederat, mandata injunxit, eamdemque poteſtatem patrandorum miraculorum conceſſit (*c*). Illi Domini præceptis obſequuti, ad ipſum redierunt, deque felici expeditionis ſuæ ſucceſſu certiorem fecerunt. Cum narrarent ipſius nomine & virtute obſequio ſuo paruiſſe Dæmones, Jeſus, vidiſſe ſe, dixit, Sathanam, velut fulgur, e Cælo ruentem. Quid autem in cauſa fuerit, ut hæc diceret, ambigitur. Sunt qui ita hæc cum ſuperioribus nectant. Cum vos ad nuntiandum Evangelium mitterem, Diaboli Imperium ruinæ proximum videbam (*d*); ut idem ſit ac illud: *Princeps hujus Mundi jam judicatus eſt, & ejicetur foras* (*e*). Videtur aliis agere Chriſtus de Luciferi

lapſu

(*a*) Num. XI. 16. 24.
(*b*) Luc. X. 1. 2.
(*c*) Matth. X.
(*d*) Nazianz. Baſil. Cyrill. Maldon. Grot. Ligf.
(*e*) Jo. XII. 31. XVII. 11.

lapſu ſub ipſum Mundi exordium, ut hic ſenſus ſit. Cavete ſuperbiam, quæ primum Angelum e ſublimi Cælorum vertice detraxit; cujus quidem rei ipſe teſtis fui (*a*). Auxit deinde Jeſus Diſcipulos ſuos ſuper ſcorpiones, & ſerpentes gradiendi virtute, quin ab eis læderentur; monens tamen, ne patrandorum prodigiorum poteſtatem veluti rem magni momenti haberent; ſed in eo gloriarentur, quod ſua ipſorum nomina in Cælis deſcripta eſſent. Porro ex his colligunt nonnulli, duos & ſeptuaginta Diſcipulos ad æternam gloriam omnes fuiſſe prædeſtinatos: id quod ipſis Apoſtolis minime contigit, cum ex eorum numero Judas fuerit, quem nemo reprobum eſſe negaverit. Gratias etiam Chriſtus egit Patri, quod myſteria ſua ſuperbis viris tumentibuſque abſcondens, humilibus rudibuſque revelaſſet. Prodidit, ſuis manibus omnia a Patre permiſsa, neminem vero Patrem noſse, niſi Filium, & viciſſim Filium, niſi Patrem, ceteroſque tantum, quibus Pater revelare voluerit. Tum beatos prædicavit illos, quibus intueri datum eſset quem Reges & Prophetæ videre & noſse ſummis votis, nequicquam tamen, optarant.

Parabola Samaritani.

XI. Secundum hæc, Jeſum convenit unus ex Legis doctoribus, rogans, quid facto opus eſset, ut vitam æternam conſequeretur. Hæc tamen ille non quærebat ſciendi ſtudio, ſed Jeſum ejuſque doctrinam periclitandi. Sic enim, quantum intelligimus, ſecum ille differebat: Si

(*a*) Cyprian. Ambroſ. Hieron. Gregor. Chryſoſt. Bern.

Si Jeſus, obtemperandum Legi Moſaicæ dixerit, fruſtra Dei Regnum ceu novum aliquid nuntiat; ſi vero reſpondeat, opus non eſse ut mos illi geratur, ſpretæ Legis reus, falſuſque Propheta eſse evincetur. At Jeſus ex ipſamet inimici reſponſione ipſum probro revincere volens, illum viciſſim, quid in Lege præſcriberetur, rogavit. Tum alter: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua; & proximum tuum ſicut teipſum*. Ad quæ Jeſus: *Recte reſpondiſti; hoc fac, & vives*: Quibus docuit, ſciri optime ab eo quæ Legis ſunt, minime vero ſervari. Quærente autem illo, quis eſset proximus ſuus, Jeſus hanc parabolam inſtituit. Judæus quidam Hieroſolymis Jerichuntem proficiſcens, prædones offendit; qui bona illius rapuiſse omnia non contenti, miſerum hominem pluribus confoſsum vulneribus, ſemivivum reliquerunt. Accidit ut Sacerdos quidam tranſiens, eo ſpectaculo ne moraretur quidem: nec meliora præſtitit ex Levitis quiſpiam, qui paulo poſt illac pariter pertranſierat. Tandem Samaritanus quidam eamdem viam tenens, miſerum illum nactus, ſuis manibus levavit, obligavit vulnera, oleo & vino prius linita, in equum aſsumpſit, detulit ad diverſorium, ſedulamque ejuſque curam per omnia geſſit, data etiam cauponi mercede, quo dum ipſe abeſset, eadem miſericordiæ officia in illum præſtaret. Interroganti deinde Jeſu, ecquis de tribus hiſce miſeri illius hominis proximus crederetur? reſpon-

pondit Legiſperitus, Samaritanum arbitrari ſe; cui Jeſus: *Vade & tu fac ſimiliter*. Evincit hic Chriſtus adverſus falſas Judæorum opiniones, quemvis cujuslibet conditionis hominem eſse alterius proximum, quamquam externi, & alienæ ſive Religionis, ſive originis. Patres vulgo allegoriam in hac parabola vident. Judæus a latronibus pene occiſus, ipſe eſt primus omnium parens Adamus, Diaboli inſidiis ex innocentiæ ſtatu per peccatum dejectus, exutuſque prærogativis, quibus Deus illum cumulaverat. Sacerdos & Levita prætereuntes, quin ullam opem ſauciato ferant, Moſaicam Legem ſignificant, curandis hominum vulneribus imparem. Pius Samaritanus eſt Jeſus: ſtabulum ſive diverſorium, quo infertur vulneratus, Eccleſia: oleum & vinum, Sacramenta: ii quibus cuſtodiendus, curanduſque traditur vulneratus, Paſtores Eccleſiæ.

Chriſtus in domo Marthæ & Mariæ recipitur. Dæmoniacum curat. Plura Phariſæis exprobrat. Quiſnam Zacharias, filius Barachiæ? Rebus temporalibus Chriſtus non ſe immiſcet. Moralia documenta. Cædes a Pilato edita. Mulier incurva ſanatur. Feſtum Pentecoſtes. Herodes ad necem Chriſtum quærit.

ANNO MUNDI 4032. Chriſti 32. Æræ Vulgaris 28.

CAP. III.

Chriſtus cauſam Mariæ contra Martham tuetur.

I. JEſus Hieroſolymam verſus procedebat; cum vero Bethaniam perveniſſet, quindecim ſtadiis ab ea urbe diſſitam, in domo Mar-

Marthæ & Mariæ, Lazari ſororum, hoſpitio receptus eſt. Martha parandæ inſtruendæque menſæ Jeſu, ejuſque Diſcipulis ſtudebat; Maria vero audiendis verbis illius intenta, nihil de familiaribus rebus curabat. Quare Martha cum Jeſu conqueſta eſt, quod ſoror ſua ad pedes ejus otioſa ſederet, oravitque, ut ſua illam auctoritate moveret, & ad opem ferendam mitteret. Verum Jeſus inter quietem Mariæ & Marthæ ſollicitudinem, Mariam optimam partem elegiſſe, dixit, a qua nonniſi per injuriam removeretur (*a*).

Orationis vis. II. Ut in montem Olivarum e regione Hieruſalem venit, ſuaſque preces abſolvit, rogavit unus ex Diſcipulis, ut formulam ſibi ſociiſque precandi aliquam, quemadmodum Joannes Baptiſta ſuis tradiderat, præſcriberet (*b*). Docuit illos Jeſus orationem, quæ incipit: *Pater noſter*; eamdem ſcilicet, quam prius in ſermone ſuper montem Apoſtolos docuerat. Tum multa adjecit de virtute & dotibus Orationis. Propoſuit parabolam hominis, qui cum tribus panibus indigeret, quod ad ſe præter ſpem veniſſet amicus, eam ob rem vicinum ſuum, qui cum tota familia cubitum jam ierat, poſtulavit. Recuſavit ille primum, ſed rogantis importunitate victus, omnia dedit. Quare Jeſus: *Petite*, ait, *& accipietis*; *quærite*, *& invenietis*; *pulſate*, *& aperietur vobis*. Quibus oſtendit, conſtanter orandum eſſe, minimeque ceſſandum. Quo vero magis magiſ-

(*a*) Luc. x. 38. l. 12. c. 2. n. 11.
(*b*) Vide hanc Hiſt.

giſque de Deo patre optimo confideremus, adjecit: Quis pater, quamvis malus, filio ſuo, panem vel ovum poſtulanti, lapidem, aut ſcorpionem dedit?

III. Cum dæmoniacum mutum ſanaſſet, Phariſæis calumniantibus, quod Beelzebub, Dæmoniorum Principis, ope in pellendis Dæmonibus uteretur, iiſdem rationibus criminationem hanc refellit, quibus in ſimili ocaſione antea uſus fuerat (*a*). Interim quædam mulier ſuavitate ſermonum Chriſti capta beatam prædicabat matrem, quæ ipſum edidiſſet, editumque lactaſſet. Ad quæ ille multo beatiſſimos aſſeruit, qui verba ſua excipiunt, iiſque obtemperant. Cum vero ex Judæis nonnulli ſignum aliquod de Cælo poſtulaſſent, declaravit, quod & pluries antea proteſtatus fuerat, nullum ex ſe aliud ſignum ab illis expectandum, quam ſignum Jonæ Prophetæ. Addidit, Reginam Sabæ, & Ninivitas cauſam contra illos ſtata judicii die dicturos, incredulitatemque eorum, & in audienda veritate, pœnitentiaque exhibenda ſegnitiem pluribus redarguturos (*b*). Lucernam ſuæ doctrinæ non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſitam eſſe, omnibuſque micare; tenebras tamen undique illos ſentire, quod ipſorum oculis vitium ineſſet, indigna odii livoriſque affectione occupatis. *Chriſtus Phariſæis plura exprobrat.*

IV. Phariſæus quidam Jeſum invitarat ad prandium, & cum illotis manibus diſcubuiſſe ani- *Phariſæorum & Scribarū hypocriſis.*

(*a*) Luc XI.17.Matth. l. 12. c. 4. n. 2. XII. 24. Vide hanc Hiſt. (*b*) Luc. XI. 27.

animadverteret, rem tulit indigne. Sed Jeſus: Vos, ait, Phariſæi, nihil habetis antiquius, quam ut exteriora mundetis, cum interim interiora negligantur, rapinis & fraudibus fædata; & tamen Deus, qui puritate delectatur, tam interiora, quam exteriora condidit. Certiſſimus comparandæ animæ, corporiſque puritatis modus eſt rerum male partarum reſtitutio, atque pecuniarum in eleemoſynam elargitio; quæ vos melius ſane comparabunt, quam ceteræ luſtrationes. Væ vobis, qui decimam quidem menthæ & rutæ ac cujuſvis oleris exhibetis quam diligentiſſime, juſtitiam vero, & caritatem negligitis; cum tamen hæc in præcepto ſint, illa tantum in conſilio. Væ vobis, qui prima in Synagogis locisque publicis ſubſellia & obſequia affectatis. Væ vobis, qui ſcelera graviſſima ſub pietatis obtentu celantes, ſepulcra humi latentia exhibetis, quæ nemo cavet, cum minime appareant; nihil tamen minus ſordida ac tabo referta ſunt. Tum Legiſperitus quidam cum Jeſu conqueſtus eſt, quod his ipſe ceterique Legiſperiti carperentur. At Jeſus. Væ vobis, reſpondit, Legiſperiti, qui importabilia onera aliorum humeris imponitis, cum ipſi ne digito quidem ea tangere ſuſtineatis. Væ vobis, qui cum Scientiæ clavim uſurpaveritis, neque vos ingredimini, neque alios ingredi permittitis, Scripturas peſſimis interpretationibus corrumpentes. Hebræi clavem Doctoribus, ac tabulas tradebant, ut ipſos veluti in muneris poſſeſſionem immiterent; interdum etiam cum

iis

iis Doctorum cadavera ſepeliebant. Ad hunc morem Chriſtum alluſiſſe docet Grotius, aliique (*a*). Væ vobis, addebat Salvator, qui monumenta conſtrutis Prophetis, quos Patres veſtri occiderunt, illorum ſævitiem interim imitantes, cum odio & ira in eos ferveatis qui veſtra carpunt flagitia: pœnas vos dabitis pro cæde tot Juſtorum, qui ab Abele uſque ad Zachariam filium Barachiæ, inter Templum & Altare occiſum, necati ſunt (*b*).

Cædes Abelis omniumque Juſtorum Judæis adſcribitur.

VI. Quæritur hic primo; cur Hebræorum genti tribuenda ſit cædes Abelis ceterorumque Juſtorum, quorum ſanguinem illa non fudit? Reſpondent diverſi diverſa. Nullum uſpiam flagitium, nullum ſcelus fuit, ab ipſa Abelis ætate, cujus exempla inter Judæos non conſpiciantur. Cainum Abelis interfectorem ſua invidia & crudelitate approbarunt Judæi, eumque imitati ſunt (*c*). Quibus hæc non placent, alia præſto ſunt. Vindicta, quam Deus in Judæos exercuit, adeo gravis fuit, ut viſus ſit Deus voluiſſe cædium omnium in terris commiſſarum, ab Abelis ætate uſque ad Hieroſolymæ excidium, pœnas expetere, quin tamen ſeveritas juſtam pœnam, illis debitam, exceſſerit (*d*).

Quiſnam Zacharias Barachiæ filius?

VII. Non convenit deinde inter Doctores, quis iſte ſit Zacharias, Barachiæ filius, quem Jeſus veluti poſtremum Juſtorum a Judæis in-

 ter-

(*a*) Vide hanc Hiſt. Beda, Maldon. l. 13. c. 1. n. 11.

(*b*) Luc. xi. 37.

(*c*) Chryſoſt. Hieron.

(*d*) Cajet. Grot. Cler. Simon.

terfectorum, inter Templum & Altare, ſcilicet inter Altare Holocauſtorum, & Sanctuarii Veſtibulum, mactatum recenſet. Sunt qui putent, ipſum eſſe Zachariam, Jojadæ filium, ab Joas Rege in ipſo Templi atrio necatum (*a*). At negotium facit Jojadæ nomen, quo diſtinguitur Zachariæ pater. Ajunt, Jojadam fuiſſe binominem, Barachiam pariter appellatum; in quam rem laudant Nazaræorum Evangelium, quod ferebat *Zachariam filium Jojadæ*, pro *Zacharia filio Barachiæ* (*b*). Afferunt alii, ipſum eſſe Zachariam filium Barachiæ, penultimum inter minores Prophetas. At nuſpiam narrat Scriptura, Prophetam hunc violenta morte fuiſſe ſublatum. Veterum plures docuere, Zachariam Barachiæ filium eſſe Joannis Baptiſtæ patrem. Cui tamen opinioni idonea non ſuppetunt argumenta (*c*). Alius legitur Zacharias Barachiæ filius, cui Iſaias vaticinium quoddam recitavit (*d*). Sed quo teſte aſsereretur, virum hunc inter Templum & Altare interfectum fuiſse? Præterea his omnibus opponitur, Zachariam laudari a Chriſto ut Juſtorum poſtremum, a Judæis interfectum, ut Abel primus eſt Sanctorum violenta morte ſublatus. Hinc Recentiores multi putant, ultimum hunc Juſtum, cujus necem Jeſus Judæis exprobrat, eſse Zachariam Baruchi filium, qui referente Joſepho (*e*) paulo ante Hie-

(*a*) 2. Paralip. XXIV. 21.

(*b*) Hieron. in Matth. XXIII. 35.

(*c*) Vide hanc Hiſt. l. 5. c. 1. in Latino.

(*d*) Iſa. VIII. 2.

(*e*) Joſeph. de Bello l. 4. c. 19. in Græco, ſeu l. II. c. I. n. 9.

Hieroſolymorum per Romanos excidium medio in Templo occiſus eſt a Zelatoribus, virtutis cauſa & divitiarum, ſub Patriæ tamen Romanis proditæ obtentu (*a*). Duo huic ſententiæ potiſſimum opponuntur. I. Judæi, quibuſcum Chriſtus loquebatur, Zachariam hunc æque ignorabant, ſicut & futuram ejus necem; fruſtra igitur intentabantur de hoc argumento minæ. II. Jeſus prænuntiavit Judæis futurum, ut ferrent pœnam mortis in homines juſtos latæ. Zacharias autem a Zelotibus neci traditus, Judæus erat, & Judæus, niſi veri ſpecies fallat, incredulus. Hiſce reponunt, Chriſtum vaticinatum fuiſse, proque futuro tempore præteritum uſurpaſse; quod apud Scripturas novum non eſt. Quamquam vero nec Joſephus, nec alius quiſpiam ex antiquis Zachariam hunc Chriſtianis accenſeat, Chriſtianum tamen fuiſse volunt, non minus ac Jacobum Minorem Apoſtolum, de quo idem Joſephus (*b*) ita agit, tamquam de viro Judæo; cum perinde tunc haberentur Chriſtiani, ceu Secta quædam ex Judæis. An hæc intentum obtineant, alii viderint (*c*).

VIII. Dicta a Chriſto acerbe auſcultarunt Phariſæi & Legiſperiti, ſedulaque cura ſtudebant pluribus virum capere, atque ex illius ſermonibus accuſationes in ipſum ſtruere. Ille autem ad Diſcipulos ſuos converſus coram frequenti populo, monebat ut diligenter ab hy-

Chriſti ad Diſcipulos monita.

(*a*) Grot. Hammond. Tillemon. Calm.

(*b*) Antiq. l. xx. c. 8.

(*c*) Gotti de vera Relig. t. 4. c. 6. §. 3.

hypocriſi, quod fermentum eſt Phariſæorum, caverent; nam reducto tandem velo ſimulatio illorum ac perverſitas omnium oculis aliquando exponendæ ſunt, omnibuſque prædicanda, quæ de malis illorum artibus clam ipſimet invicem muſſitarent. Ne timeatis, pergit Jeſus, illos qui corpus perdere poſsunt, ſed eum potius veremini, penes quem eſt corpus & animam ad Inferna detrudendi poteſtas. Duæ aviculæ, quæ duobus obulis, viliſſimo pretio, venduntur, caræ ſunt Deo, cui & veſtrorum capillorum numerus patet: ut quid igitur vos, qui longe præſtatis, non curabit? Quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, Filius Hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; ſicut viciſſim qui nomini meo renuntiaverit, ipſi pariter ego renuntiabo. Qui dixerit blaſphemiam in Filium Hominis, remittetur illi, qui vero in Spiritum ſanctum, nequaquam (*a*). Cum vos ad Tribunalia & Magiſtratus raptaverint mei cauſa, ne ſolliciti ſitis, quam paretis reſponſionem; vos enim illam Spiritus ſanctus docebit. Porro hæc alias Chriſtus docuerat; ſed cum eſſent majoris momenti, repetere non gravabatur. Quod alibi quoque non ſemel factum eſt.

Chriſtus inter fratres bona dividere recuſat.

IX. Sub hæc venit ad Jeſum quidam, ut fratrem ſuum ad hereditatis diviſionem adigeret: cui Jeſus nil ſe tale facturum dixit, quod in eam rem miſſus non fuerit. Occaſionem autem nactus, de avaritia diſſerendum ſuſcepit, propoſita viri cujuſdam parabola, quem de-

(*a*) Luc. XII. I.

deſtruendi horrea ſua, & ampliora ædificandi conſilium capientem, atque de commodæ vitæ deliciis ſibi blanditum inopina mors occupaverat. Non eſt igitur, adjecit, cur de cibo & veſtimento ſollicitiori cura teneamur, præſertim cum de utroque Deûs vel ipſis corvis provideat, cui ſane de iis minor eſt, quam de hominibus, providentia. Quantumcumque cogitaverit homo, ſtaturæ ſuæ ne cubitum quidem unum adjicere poterit; quod tamen primo aſpectu facillimum videtur. Ut quid ergo de iis, quæ difficiliora cenſentur, nimium inaniterque angitur homo? Lilia agri de parando ſibi veſtimento ſollicitudo nulla tenet; quæ tamen a Deo magnificentiſſime veſtiuntur. Quærite ergo primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Tranquillo animo fiduciam omnem in Dei providentiam conjicite, qui Regnum ſuum vobis pollicitus eſt. Nedum autem jubeo fidere Deo, ac terrena negligere, verum etiam moneo, ut vendatis quæ poſſidetis, & in pauperum uſum diſtributis, theſaurum inde, qui numquam deficiat, in cælo comparetis. Præcepit tandem Chriſtus, ut ſervorum & patrisfamilias vigilantiam imitemur. Vigilant illi præcincti, lampadibuſque inſtructi, ut ubi herus a nuptiis, ſive conviviis noctu rediens, fores ferierit, ſtatim ab illis excipiatur; qui eam ſervorum ſedulitatem ita acceptam habet, ut & ipſe deinde inſtar famuli illis menſæ accumbentibus inſerviat, diſcurratque præcinctus, ne quid cuipiam deſit. Vigilat paterfamilias,

 dum

dum fures timet. Vigilandum pariter nobis eſt, ne Dominus improviſo furis inſtar veniens, aut dormientes inveniat, aut bonorum operum lumine carentes, curiſque ſæculi impeditos (*a*).

Propoſitis nonnullis parabolis Chriſtus omnes inſtruit.

X. Hæc audiens Petrus, quæſivit, num ea ad Diſcipulos tantum, vel ad omnes æquo ſpectarent? Cui Jeſus: Omnino reſpondit; unuſquiſque enim, nullius habita ratione, præmia, pœnaſque referet, uti meruerit; in quam quidem rem nonnullas attulit parabolas; Oeconomi ſcilicet fidelis prudentiſque, quem dominus ob illius meritum univerſæ familiæ ſuæ præpoſuit; improbi famuli, qui cum abſente domino conſervos vexaſſet, capitali ſupplicio, eodem regreſſo, plectitur; alterius famuli, qui domini ſui voluntatem probe noſcens, nec tamen exequutus, vapulat multis; cum viciſſim ignorans mitius habeatur. Multum, adjecit, ab eo exigitur, cui multum conceditur. Veni ignem mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? Baptiſmus me manet, avideque cupio, ut quantocius in me expleatur. Non paci inferendæ veni, ſed diviſioni, committendis ſcilicet parentibus in filios, filiis in parentes, & ceteris neceſſariis in neceſſarios. Odia hæc & lites per ſe non optavit Chriſtus, quem Scriptura ceu Pacis Principem exhibet; ſed quæ futura erant, prævidebat, prædicebatque. Nomine autem Baptiſmi, Chriſtum paſſionem ſuam intelligere, nemo

(*a*) Luc. XII. 13.

nemo ambigit, quamvis & de Evangelii prædicatione, cujus appendix ſunt Martyrum tormenta, explicari poſſit; quæ omnia Chriſtus deſiderabat, quemadmodum gravida mater partum cupit, quamquam præſſurarum non inſcia. Quo facile ſpectat & ignis, qûem Chriſtus accendi deſiderat; nam licet quidam explicent de Spiritus ſancti lapſu in die Pentecoſtes, & alii de caritatis fervore; multi tamen de perſecutione, adverſus Diſcipulos ab Ethnicis aliiſque infidelibus movenda, interpretantur (*a*). Ad turbas deinde converſus Salvator: Vos, ait, omnes aeris viciſſitudines ſola Cæli inſpectione prædicere valetis; tempori vero adventus Meſſiæ diſtinguendo impares eſtis. Dum pergis cum adverſario tuo ad Principem, ſive Judicem, litem cum illo via compone, ne forte a Judice in carcerem detrudaris, donec noviſſimum quadrantem reddideris. Quibus eos arguit, qui ad mortem uſque pœnitentiam differunt (*b*).

Galilæi a Pilato cæſi. Parabola ficulneæ ſterilis.

XI. Inter hæc, renuntiarunt quidam, Pilatum Galilæorum ſacrificia, quorumdam ejus gentis nece fædaſſe. Hi fortaſſe Galilæi diſcipuli erant Judæ Gaulonitæ, ſeu Galilæi, docentis, nefas eſſe, tributa exernis pendere. Nuntios autem interrogavit Jeſus, num crederent, miſeros illos præ aliis ejuſdem regionis deteriores fuiſſe? Non ſane, ait; quemadmodum & illi, quos turris Siloe, ſubito corruens, oppreſſit, non ideo criminibus reliquos

omnes

(*a*) Maldon. Brug. Grot. Calm.

(*b*) Luc. XII. 41.

omnes Hieroſolymorum cives ſuperabant: qua occaſione pœnitentiam adſtantibus commendavit, excidio in obſtinatos comminato. Id autem vividius edocturus, ficulneæ parabolam propoſuit; quam, cum tres annos ſterilis perſeveraſſet, præcidendam dominus præceperat. Sed dilationem unius anni vinitor impetravit, pollicitus, majori ſe cultu illam curaturum, minimeque interceſſurum, quin ſuccideretur, ſi eo temporis ſpatio fructum non reddidiſſet (a).

Mulier incurva liberatur. PortaCæli anguſta.

XII. Ad Jeſum, dum in quadam Synagoga doceret, femina a 18. annis ita incurva, ut ſurſum reſpicere non poſſet, adducta eſt; cui cum manum impoſuiſſet, ſanam remiſit. Præfecti Synagogæ querelas ea de re ſuas inſtituerunt, iniquum eſſe dicentes, ut tot conſtante ſeptimana diebus, adhuc tamen Sabbati dies curandis infirmis impenderetur. Tunc Jeſus hypocriſim illorum exprobravit, quippe qui aſinum vel bovem ſuum die Sabbati ſolvere & adaquare religioni non ducerent, haberent autem gravius, feminam Abrahami filiam tam moleſta infirmitate a Diabolo percuſſam eadem die relevari. Propoſuit deinde Jeſus iterum parabolas grani ſinapis, in arborem ſatis proceram creſcentis; & fermenti, quod tria farinæ ſata ſubigit. Ita vero viam ad Hieruſalem proſequebatur, ubique per Synagogas populum erudiens. Quo tempore quidam illum interogarunt, num rari eſſent qui ſalutem aſſequerentur? Ad quos ille: Conten-

(a) Luc. XIII. I.

tendite intrare per anguſtam portam, quam multi equidem quærent, ſed, cum non ſint quæſituri uti oportet, non invenient. Cum autem porta clauſa fuerit, vosque illam pulſaveritis ingeminantes: Domine, Domine aperi nobis: paterfamilias intus reſpondebit: Neſcio vos, unde ſitis. Nequicquam autem excipietis: Cibum potumque tecum ſumpſimus, tuamque doctrinam palam audivimus: nam audietis iterum dicentem: Neſcio vos, unde ſitis: diſcedite iniquitati operam dantes, ibique manete, ubi fletum, dentiumque ſtridorem frigus exprimit. E quatuor Mundi plagis undique accurrent, ut recumbant ad menſam cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, vobis e convivii aula excluſis (*a*).

Herodes Chriſto necem molitur.

XIII. Cum Hieroſolymis, ipſo Pentecoſte die (*b*) verſaretur, audivit a Phariſæis, Herodem de nece illi inferenda cogitare; quibus irent juſſit, renuntiarentque vulpi illi, nonnihil temporis adhuc ſibi ſupereſſe, quo vitam producat, ægrotoſque curet; decreto autem tempore ſe ſe miniſterio finem morte impoſiturum Hieroſolymis, cum fieri non poſſit ut Propheta quiſpiam extra eam Urbem necetur. Eruditi quidam arbitrantur, hæc poſtrema Chriſti verba eo ſpectare, quod Judæi cognitionem de veris falſiſque Prophetis Hieroſolymitano Synedrio reſervarent; quamobrem nefas erat Prophetam extra Hieroſolymorum urbem

(*a*) Luc. xiii. 11. Vide Toynard. p. 70.
(*b*) Luc. xiii. 31.

bem necari (*a*). Sed fortaſſe ut Hieroſolymæ ſævitiam oſtenderet, ait Chriſtus, illam adeo Prophetarum cædibus conſueviſſe, ut Prophetæ omnes in ea urbe mori debere viderentur (*b*). Ceterum non abs re putaremus, Phariſæos falſa locutos fuiſſe, eoque inſidiarum Herodis obtentu id voluiſſe, ut in ſecretiora loca Jeſus abſcederet, ne ipſorum vitia apud populum carpere pergeret. Quorſum enim Herodes necem Chriſto intentaret? Quæ illius auctoritas Hieroſolymis, qua in urbe hæc contigiſſe credimus? Utcumque autem res ſe habeat, Hieroſolymæ, quæ homines a Deo miſſos ſprevit occiditque, atque voci Dei, qui ejus filios, ceu Gallina pullos, congregare ad ſe volebat, ſemper reſtitit, exitium prædicens Chriſtus una cum Templi deſolatione, orationem ſuam ita claudit: *Non videbitis me, donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Chriſtus ultimo ſuæ vitæ Paſchate Hieroſolymam veniens exceptus eſt a populo clamante: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Verum cum & ante hoc tempus eo perrexerit, ſemel Tabernaculorum feſtum celebraturus (*c*), & iterum Templi dedicationem (*d*), nec tunc his plauſibus exceptus ſit, hinc Chriſti vaticinium ad ſecundum ipſius in Mundum adventum referri poteſt; quaſi prædicat futurum ut Judæi, qui ſub Mundi exitum reliqui erunt, convertantur; ſimul-

(*a*) Druſ. Grot. Ligſ. Calmet. aliique.

(*b*) Brug. Maldon.

(*c*) Joan. VII. II.

(*d*) Joan. X. 22.

ſimulque doceat, eos qui in infidelitate obierint, actos veritatis vi, faſſuros, Jeſum eſſe Meſſiam. Explicant nonnulli de excidio Judæis per Romanos imminente, ut vaticinetur: Aliquot poſt annos tam multa vos oprpriment mala, ut optaturi ſitis ea uti acclamatione: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; at ſerum erit deſiderium (*a*).

De humilitate præcepta. Variæ Parabolæ, inter quas duæ eminent; altera de Filio prodigo, altera de Lazaro & Divite. An vir uxorem dimittere poſſit? Virginitas commendatur. Feſtum Tabernaculorum. Mulier in adulterio deprehenſa.

CAP. IV.

I. Relicta Hieroſolyma Capharnaum venit, ubi ex optimatibus Phariſæorum quidam die Sabbati ad prandium illum invitavit. Sedulo autem obſervabant Phariſæi, num die illa ægrotum aliquem curandum ſuſciperet. Stabat coram hydropicus; quæſivitque Jeſus ab illis, num liceret Sabbato homini curando operam dare? Silentibus illis, hydropicum manu tenens ſanavit, iterumque interrogavit Phariſæos, num die Sabbati lapſum in foveam jumentum ſuum præterirent? Ad quæ illi prorſus hiſcere. Animadverſa autem convivantium ambitione, primos in convivio recubitus affectantium, ita illos alloquutus eſt.

Anno Mundi 4032. Chriſti 32. Æræ Vulgaris 28.

Hydropicus ſanatur. Humilitas commēdatur.

Cum

(*a*) Grotius.

Cum invitatus ad menſam veneris, infimum de induſtria locum tibi eligas, quo ſcilicet a domino ad honeſtiſſimum evoceris. Si enim primum locum occupaveris, forte aliquis te honeſtior ſuperveniens, locum ille tuum ex domini juſsu tenebit, te ad infimum amandato; quod probro & dedecori certe tibi eſſet; quemadmodum primum illud laudi & honori. Quicumque ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Quando autem convivium aliquod paras, ne committas ut potentiſſimos amicos, neceſſarioſque invites; fiet enim ut ipſi pariter te, æquum æquo reddentes, invitent; ſed potius voca egenos, ægros, cæcos, quo tibi gratiam non homo, ſed in reſurrectione Juſtorum referat Deus (*a*).

Invitati ad convivium venire renuunt. II. Hæc diſſerente Jeſu, ex convivis quidam occaſione captata, felicem beatumque pronuntiavit, cui id dabitur, ut in Regno Dei diſcumbat. Tunc Jeſus hanc ingeſſit parabolam. Splendidiſſimus vir quidam inſtruxerat convivium, quo invitati plures venire, cauſationem prætendentes, recuſarunt. Alius enim ſe villam emiſſe, reſpondit, alius boves, alius uxorem duxiſse. Eam rem ferens acerbe convivii dominus, juſſit, ad cœnam obvios quoſcumque egenos, claudos, cæcoſque invitari; denuntiavitque futurum ut nemo e prioribus invitatis convivium ſuum deinceps guſtaret. Parabolæ autem propoſitum eo ſpectat, ut ſignificet, Ethnicorum vocationem ad Eccleſiam

(*a*) Luc. XIV. I.

ſiam nonniſi poſt Judæorum pertinaciam fieri.

III. Secundum hæc, magno turbarum ſatellitio Jeſus Galilæam diſcurrebat, docens, neminem inter Diſcipulos ſuos accenſendum, qui illius cauſa amicitiam & conſuetudinem propinquorum & maxime carorum deſerere paratus ſit, ſibique ac ſuis commodis renuntians, levata in humeros cruce ipſius, Magiſtri veſtigia relegere conetur. Geminas quoque ingeſſit parabolas; alteram hominis, qui ædificium aliquod erigere cupiens, ſecum rationem init, num tantum in numerato habeat, quantum ad abſolvendum opus ſat eſt; alteram Regis, qui ante ſuſceptam expeditionem in alium Regem, conſiderat prius, num cum collecto decem millium exercitu reſiſtere valeat adverſario, bis totidem militibus occurrenti. His potiſſimum illi ſpectantur, qui cum ſequi vellent Chriſtum, minime advertebant, quid hæc vivendi ratio poſtularet. Putabant illi, mox reſtitutum iri a Chriſto Regnum Juda, eumque bonis & felicitate cumulaturum Diſcipulos ſuos, hoſtes vero deleturum. Hanc opinionem correpturus, docet, opus quod aggrediuntur, expoſcere, ut res omnes, ipſaque vita diſcrimini objiciatur; penſarent proinde, utrum pares tanto molimini vires haberent; ne poſtquam inceperint, ab inceptis turpiter recedendum eſset. Addit parabolam, quam ſemel & iterum olim propoſuerat, de ſale, propria virtute deſtituto, quod a nullo corrigi poteſt.

Chriſti imitatio difficilis.

IV.

Chriſtus cum Publicanis & peccatoribus manducat.

IV. Dum Jeſus Capharnai verſaretur, factus eſt ad illum audiendum Publicanorum, perditorumque hominum concurſus, quibuſcum ne veſci quidem Jeſus dedignabatur. Phariſæi, qui malo ſui ipſorum amore ducti, neminem ſibi proximum & amicum cenſebant, niſi Judæum, Legiſque Moſaicæ ſtudioſum, ea de re obloqui cœperunt. Quare Jeſus: Erant, inquit, cuidam paſtori centum oves, quarum cum unam deeſſe animadverteret, ceteris omnibus relictis, errabundam quæſivit, inventamque in humeros ſuos levans, domum reduxit, ubi amicorum gratulationes lætus excepit, quin & exegit. Eodem plane modo Cælum gaudere teſtatur Chriſtus, ubi pii bene agendo perſeverent, & impii reſipiſcant. Adjecit, Angelos eo affici gaudio ex peccatorum converſione, quo pauperrima femina, dum drachma, minimam ſcilicet pecuniam, quam amiſerat, invenit, vicinaſque & amicas, ut una ſecum gratulentur, invitat.

Parabola Filii Prodigi.

V. Prioribus aliam attexuit parabolam, filii nempe prodigi, qui portione hereditatis, ſibi obvenientis, a Patre requiſita, receptaque, in regionem quamdam longinquam cum divertiſſet, luxurioſe vivens, patrimonium illud omne dilapidavit. Quare in extremas rerum omnium anguſtias redactus, paſcendo porcorum grege, vitam utcumque tolerare coactus eſt. His incommodis affectus ſtatuit ad patrem reverti. Venit igitur; exceptuſque humaniſſime a patre, novis ac pretioſiſſimis veſtibus indutus eſt, annuloque inſignitus, & calceis inſtructus;

nec

nec his contentus pater, ampliſſimum convivium paravit, ut lætam adventus filii ſui diem celebraret. Accidit ut frater natu major ex agro veniens, tantum lætitiæ apparatum, quo numquam ipſe dignatus fuerat, adeo graviter ferret, ut in domum patris redire dedignaretur. Cui pater, omnia bona ſua, dixit, ipſi reſervari, cum alter debitam ſibi patrimonii partem abſumpſerit; oportere autem feſtum de adventu fratris diem celebrare, quippe qui errabundus palanſque tandem rediiſſet (*a*). Hac parabola Judæorum ingenium deſcribitur; ii enim unam inter ceteras gentes piam ſanctamque arbitrantes, Ethnicos, & peccatores alios inſignes ſummopere execrabantur, ægerrimeque ferebant, quod ſalutis fores illis aperirentur, ipſique participes earum promiſſionum fierent, quas unis ſibi datas autumabant.

VI. Poſt hæc, tranſvadato Jordane, in Judæam venit. Comitabatur eum cum turbis frequentiſſimis ingens ægrotorum multitudo, quos omnes reſtituta valetudine incolumes remittebat. Expoſuit tunc parabolam Œconomi infidelis, qui poſt diſſipata bona domini ſui, cum in reddenda ratione de rebus ſuis diffideret, ſingulos convenit domini ſui debitores, partemque debiti illis remiſit, ut ſcilicet e domo heri pulſus, illos benevolos hoſpites nanciſceretur. Eo exemplo monuit turbas, ut divitias iniquitatis, quæ nempe malis plerumque artibus comparantur, patrandiſque ſceleribus inſerviunt, in pauperes erogarent, quo ab *Parabola Œconomi infidelis.*

 illis,

(*a*) Luc. xv. 1.

illis, vel ab illorum Angelis, ſi ipſi deſuerint, in Cælum recipiantur, cum e Mundo exeundum erit. Reprehendit deinde Phariſæos, quod terrenis opibus abuterentur, denuntiavitque futurum ut ea de cauſa ſpiritualia bona, rerum ſcilicet cæleſtium cognitionem, Evangelii dogmata, Sacrorum diſpenſationem Deus ipſis minime crederet. Tum etiam quod impoſſibile ſit, ut quis Deo ſimul & pecuniis inſerviat. Phariſæi, quorum erat auri fames valida, Jeſum talia diſſerentem irridebant; ſed ille, Deum, dixit, non capi exteriori ſanctimonia, quam ipſi profitebantur, ſed profundos mentium receſſus ſcrutari, ubi abominationes tegebant, quibus opera quamvis excellentiſſima corrumpuntur. Sed minime, adjecit, recens eſt veſtra in veritatem pugna. Venit Joannes Regnum Dei nuntians; illum quo pacto excepiſtis? Sed quæ de me ſcripta ſunt, omnia ad apicem uſque adimpleri opus eſt (*a*).

Matrimonium indiſſolubile. VII. Tentandi Jeſu gratia Phariſæi ipſum rogarunt, num liceret facto divortio uxorem dimittere, quacumque ex cauſa? Tres ſententiæ de divortio ſive repudio inter Judæos tum ferebantur, de quibus ſuperiori libro actum eſt (*b*). Ad quamlibet autem partem Chriſtus ſua reſponſione acceſſiſſet, Phariſæi futurum ſperabant, ut reliquæ duæ ſectæ ipſum adverſarentur. Jeſus vero illos viciſſim interrogavit, quid Moyſes ea de re ſtatuiſſet? Cum-

(*a*) Luc. XVI. 1. 12. c. 2. n. 7.
(*b*) Vide hanc Hiſt. l.

Cumque dari repudii libellum, audiiſſet: Fateor, ait Jeſus; ſed hæc a Moyſe permiſſa ſunt propter mentis veſtræ pervicaciam. Olim autem res aliter ſe ſe habuit: cum enim Deus ab initio marem unum unamque ſeminam creaverit, præceperitque ut patre & matre dimiſſis, adſtrictoque conjugii vinculo, ambo in carnem unam coaleſcerent, perſpicuum omnino eſt, Deum illud voluiſse ut vir ab uxore non diſcederet. Indiſsolubile igitur eſto conjugii fœdus, quemadmodum inſtitutum eſt a Deo. Ipſum autem divortium non niſi fornicationis cauſa permittitur, ita tamen ut utrumque conjugem ſejungat quidem, ſed neuter ad alteras nuptias tranſire poſſit, quin adulterii reus fiat. Cum Jeſus quamdam domum ingreſsus fuiſset, Apoſtoli privatim illum iterum ſuper hæc interrogarunt, eademque ille, quæ prius Phariſæis, repoſuit. Tunc Apoſtoli: Si ita eſt, non expedit nubere. Quibus Jeſus: Non omnes hoc percipiunt. Ut tamen continentiam poſſibilem eſse demonſtraret, tria oſtendit eſse Eunuchorum genera; alios tales conſtituit naturæ vitium; alios injuria, ſive neceſſitas; alios tandem voluntas; quorum poſtremi a carnis voluptatibus ſe continent, ut ſibi Cælorum Regnum promereantur (*a*).

VIII. Narravit poſt hæc, Lazari & Divitis parabolam, quorum iſte ſplendidiſſimis veſtibus, & inſtructiſſimis ſemper menſis luxum ſpirabat: cum interim ille præ foribus divitis jacens, micas e menſa illius decidentes pete- *Lazari & Divitis parabola.*

D 2 ret,

(*a*) Matth. XIX. 3. Marc. X. 3. Luc. XVI. 18.

ret, petentique nemo daret. Ambo tandem diem clauſere, ſed impari ſorte; nam Lazarus in ſinum Abrahæ, Dives in Infernum exceptus eſt. Quare tollens oculos miſer ille, & Abrahamum a longe proſpiciens, ut mitteret Lazarum rogavit, a quo ſolatium unius tantummodò guttæ frigidæ, e ſummo digitulo ſtillantis, ſibi inter flammas excruciato afferretur. Cui Abraham, revocato in memoriam priſtino ipſius luxu, & Lazari miſeria, acquieſcere detrectans, ſtare, dixit, inter utroſque medium ingens aliquod & impermeabile chaos, quo tranſire Lazarus hinc illuc prohiberetur. Tum dives obſecravit, ut ſaltem nuntium vicis ſuæ ad quinque fratres ſuperſtites legaret, ne parem vitæ exitum haberent. Et Abraham: Habent Moyſem & Prophetas; audiant illos; & ſi non audiant, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent (*a*). Ex nomine Lazari, aliiſque pluribus circumſtantiis, narrationi adjectis, hiſtoriam hic narratam aliqui volunt (*b*); alii parabolam præferunt (*c*); ceteri neque meram hiſtoriam, neque meram parabolam exiſtimant, ſed veram hiſtoriam, pluribus parabolicis circumſtantiis ornatam (*d*). Porro Chriſtus docere volebat divitiarum diſcrimen, & commoda paupertatis.

Quid Abrahæ Sinus?

IX. Abrahæ ſinus eſt locus, in quo Juſtorum ac Patriarcharum animæ adventum Meſſiæ

(*a*) Luc. XVI. 19.
(*b*) Tertull. Iren. Ambroſ. Gregor. Brugen.
(*c*) Chryſoſt. Cyrillus Alex. Theophylat.
(*d*) Maldon. Salmaſ. Grot.

ſiæ præſtolabantur; eoque deſcendit Chriſtus poſt mortem: *Deſcendit ad Inferos*. Spectata hic videtur veterum conſuetudo, qua illi ad menſam accumbebant in lectis, pedibus in exteriorem partem porrectis, capite vero prope ſinum illius, qui ordine ſuperior cubabat. Ita Joannes Evangeliſta ſupra Jeſu Chriſti pectus in cœna recubuit. Hebræi Paradiſum ita ſibi fingebant, veluti locum, in quo Beatorum animæ aſſidua convivia agitarent. Abraham, uti gentis princeps, in ſummo menſæ capite; filii una, ejuſque in ſinu cubant, minori majorique propinquitate. Ex totius parabolæ ſerie, Abrahami ſinus & Infernus eodem, ut ita dicam, in campo erant; ſed inter utrumque chaos magnum, ingens ſcilicet aquarum vorago, vel fluvius intercedebat. Mortuorum ſedem ferme ſimilem confinxerant Ethnici. Niger Tartarus & Arva Elyſia Cocyto, & Acheronte diſterminabantur. Omnino intelligis, tropice multa eſſe intelligenda. In rebus autem errori minime obnoxiis multitudinis locutionibus ſermones ſuos Chriſtus accommodabat.

Dominus ſervo nihil debet.

X. Poſtquam nonnulla explicaſſet Jeſus de ſcandalo, de correptione fraterna, deque Fidei merito, vi cujus & arbores eradicare aliove transferre valemus, ut noſtrum in Deum obſequium nihili pendendum, noſque inutiles eſse ſervos oſtenderet, parabolam narravit domini, cujus famulus paſcendo gregi, ſive colendo agro occupabatur. Revertenti illi ex agro non imperat dominus ut menſæ accumbat, ſed ut ſibi cibum paret, veſcentique mini-

ſtret, ac deinde ipſe ſe cibo reficiat; nec gratia habetur illi, quod imperata exequatur (*a*).

Jeſus ad Feſtum Tabernaculorum invitatur.

XI. Inſtante jam Feſto Tabernaculorum, vel Scenopejæ, cognati Jeſu ſuadebant, ut Hieroſolymam ſe ſe conferret, quo Mundo magis magiſque innoteſceret, & Diſcipulos, quos antea ibidem ſibi acquiſierat, miraculis confirmaret. Hæc quidem illi obtendebant, cum tamen in Chriſtum minime crederent, illud tantum quærentes, ut micante Jeſu gloria aliquod ſibi decus proveniret. Sed Jeſus nolle ſe illuc ire reſpondit, quod tempus ſuum nondum adveniſſet; quare ſi vellent, ipſi ad urbem aſcenderent. Cum tamen illi eo divertiſſent, venit tandem & Jeſus, de quo multus erat rumor in populo, & ab omnibus quærebatur, ut interficeretur (*b*). Mendacii Jeſum accuſat Porphyrius (*c*), quod promiſſis non ſteterit; quam accuſationem, ut diluant Interpretes alii alia excogitarunt. Nonnulli igitur dicunt, Chriſtum primam Solemnitatis diem reſpexiſſe; qua ſane ipſe Hieroſolymam non adivit, ſed tantum cum dimidium circiter Octavæ tranſiſſet, ut inſinuare videntur illa verba: *jam die feſto mediante* (*d*). Ceteri vero autumant, Chriſtum non profecturum ſe dixiſſe ob cauſam, quam volebant ipſius neceſſarii, nimirum ut ſe ipſe proderet, ſibique glo-

(*a*) Luc. XVII. 1.
(*b*) Joan. VII. 1.
(*c*) Apud Hieron. l. 2. contra Pelag.
(*d*) Joan. VII. 14. Chryſoſt. Cyrill. Aug. Maldon. Tir.

gloriam compararet. Alio prorſus conſilio illuc profectus eſt, ut obtemperaret ſcilicet Legi, & populum doceret, & ſine miraculorum gloria, turbarumque ſatellitio: *Non manifeſte, ſed quaſi in occulto* (*a*).

XII. Interim Judæorum proceres, Chriſti perniciem meditantes, ipſum in advenarum ad Feſtum collectorum multitudine quærebant. Vulgi autem varia erat de Chriſto opinio: qui penitus illum noverant, bonum virum & Prophetam eſſe ajebant; alii, Sacerdotibus & Phariſæis fidem habentes, impoſtorem aſſerebant: hoc tamen diſcrimine, quod qui maledicerent, libere ac ſecure; qui laudarent, clam & in occulto, ob metum optimatum, loquerentur. Media igitur jam effluxerat ſolemnitas illius octidui pars, cum Jeſus in Templo apparens, populos erudiendos ſuſcepit, iis obſtupentibus, qui illum numquam literas didiciſſe noverant; quibus profeſſus eſt, doctrinam, quam tradebat, Patris cæleſtis eſſe, non ſuam. Periculum, adjecit, facere cupitis eorum quæ dico, atque experiri, ego ne ex me ipſo, an Deus in me loquatur? Dei voluntati obſequimini, ejuſque Legem implete, peſſimas adverſus me opiniones exuentes. Si meam ipſe gloriam quæro, aut hujus vitæ commoda, dum prædicationi vaco, me uti impoſtorem falſumque Prophetam rejicite: ſin unius divinæ gloriæ cauſa laboro, iniquum eſt ut me tamquam a Deo miſſum non ſuſcipiatis, meamque in mortem conſpiretis. Hæc intelligens

Jeſus docet in Templo.

(*a*) Joan. VII. 10. Rupert. Ligfoot.

multitudo, quæ necem Jeſu parari, ignorabat: *Dæmonium*, inquit *habes*; hoc eſt, inſanis: *quis te quærit interficere*? At Jeſus, qui aliorum conſilia pervaſerat: Si reus mortis ſum, adjecit, Sabbati violati cauſa, quod ſcilicet eo die paralyticum ſanaverim, eumque auferre lectum juſſerim; nihilo levior eſt veſtrum omnium culpa, qui puerum ea die, modò octava ſit ab ejus ortu, circumciditis. Sin nullius vos criminis reos creditis, initiato circumciſione puero die Sabbati, cur me damnatis, qui hominem membris omnibus languidum ſanavi (*a*)?

Unde proditurus ſit Meſſias. XIII. Nonnulli ex Hieroſolymæ civibus, tranquille illum audiri conſpicientes, nulla adhibita vi, cum tamen mala Procerum conſilia adverſus Chriſtum optime ſcirent, invicem dicebant: Agnitus ne eſt tandem a populi Principibus pro Meſſia? Verum credibile non eſt, hunc eſſe Meſſiam, ſive Chriſtum; novimus enim, hic unde ſit; at unde venturus ſit Meſſias, ignoratur. Dum hæc dicerent, facile præ oculis habebant illud Iſaiæ: *Generationem ejus qui enarrabit* (*b*)? ſive illud Michææ: *Egreſſus ejus a diebus æternitatis* (*c*). Tum Jeſus: Me meumque genus vobis perſpectum eſſe putatis; at moneo, me non niſi ex minima parte a vobis agnoſci, cum generatio mea ineffabilis ſit & incomprehenſibilis, & is qui me miſit, a vobis ignoretur. Ego autem illum penitus novi, cum ipſi nedum miſſionem debeam,

(*a*) Joan. v. 1. & VII. 14.

(*b*) Iſai. LIII. 8.

(*c*) Mich. v. 2.

beam, ſed & nativitatem. Judæi Chriſtum norant ſecundum humanitatem tantum, quam ex Maria trahebat; ipſe loquebatur & de Divinate. Quamvis autem multi in Chriſtum conſpirarent, ac ſummopere deſiderarent illum tenere, voti compotes nequaquam fieri potuerunt, cum nondum expletum eſſet tempus a Patre in illius mortem deſtinatum. Quin multi ex populo in illum credidere, eo ducti argumento, quod ſcilicet ubi Meſſias venerit, majora his, quæ a Jeſu edebantur prodigia, facere non poterit (*a*). Hinc diſcas, turbas Chriſtum audientes ex triplici hominum genere coaluiſſe. I. Ex Judæorum Proceribus, qui ipſum ad necem quærebant. II. Ex Hieroſolymæ civibus, qui ipſum quidem admirabantur, ſed ei fidem minime adhibebant ob natalium ignobilitatem. III. Ex aliis ſive Hieroſolymitanis, ſive advenis, qui in ipſum credebant.

XIV. Verentes Sacerdotes & Phariſæi, ne univerſa tandem multitudo Jeſum ſequeretur, ipſis derelictis, miniſtros ſuos, ut illum caperent, ſubmiſerunt; quibus Chriſtus ait: Vitæ meæ tempus ad finem quidem vergit, brevique ad Patrem, a quo miſſus ſum, redibo; ſed vos præſentem me aliquando cupietis, quæretiſque ſollicite, incredibilium malorum, quibus opprimemini, ſolatio; fruſtra tamen; quod ubi ego fuero, vobis eo venire non licebit. Loquebatur Chriſtus de ſuo ad Cælos aſcenſu; at illi ad Ethnicos, ſive Græcos, velle ipſum

Capiendo Chriſto miniſtri mittuntur.

(*a*) Joan. VII. 32.

ipſum proficiſci, eoſque docere, non ſine ſtomacho interpretabantur; quos ceu populum diris devotum, atque a Deo derelictum habebant.

Jeſus fons Aquæ vivæ. Variæ de illo opiniones.

XV. Noviſſimo Feſti Tabernaculorum die Jeſus in medio Templi clamans, dixit: *Si quis ſitit, veniat ad me, & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Eo autem verborum involucro, iis qui ſibi crederent, Spiritum ſanctum, ſacra deinde Pentecoſtes die in eos lapſurum, pollicebatur. In maximis Judæorum ſolemnibus, quibus Octava addebatur, primus ac poſtremus dies celeberrimi omnium habebantur (*a*): ac plerumque iis diebus peculiares ritus & extraordinaria ſacrificia peragebantur. In Tabernaculorum Feſto deferri ſolebant ad Templum ſolemni pompa, muſicos inter concentus, vaſa duo, alterum aquis fontis Siloes, alterum vino plenum; ex quibus per ſeptem Feſti dies, dum ſacrificium matutinum fieret, pes Altaris Holocauſtorum rigabatur (*b*). Hunc morem facile ſpectavit Jeſus laudatis verbis, quaſi diceret: Qui vitam æternam deſiderat, credat in me; is ſimilis futurus eſt urnis iſtis, quarum ex ventre aquæ vivæ fluunt; ex eoque fluenta donorum Spiritus ſancti in Mundum univerſum diſpergentur. Hujuſmodi autem Chriſti ſermo multo quam prius opinionum diſcrepantiam fovit. Alii enim ipſum eſſe Chriſtum ſive Meſſiam, prædicabant, alii ſaltem Prophetam. Qui Meſ-

(*a*) Levit. XXIII. 36. 4. Miſchnæ tit. Sucha.
(*b*) Bartenora in cap.

Meſſiam negabant, illud potiſſimum oggerebant. Numquid Chriſtus a Galilæa? Nonne Scriptura dicit, ex ſemine David, & ex urbe Bethlehem, unde Davidis familia, Chriſtum oriturum? Hæc autem numquam objeciſſent, ſi ortum & genus Jeſu ſcrutati fuiſſent; Chriſtus enim revera genus ſuum e Davide trahebat, & Bethlehemi ortus fuerat. Interim miniſtri, qui Sacerdotum & Phariſæorum juſſu comprehendendo Chriſto venerant, re infecta ad illos redierunt; interrogatique, cur vacui rediiſſent: Nemo, reſponderunt, tanta auctoritate & eloquentia diſputavit. Quibus illi: Numquid & vos ſeducti eſtis? Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis, cujus exemplum ſequeremini? Ad quæ Nicodemus, unus ex illis, qui clam in Chriſtum credebat: Numquid, ait, Lex judicat hominem, quem prius non audierit? Et illi ad eum: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturam, ut intelligas, ex Galilæa Prophetam non oriri. Qui hæc illi defendere poterant? Nonne Nahum & Jonas Galilæi origine erant? Fac, nullum Prophetam Galilæa ediderit; an idcirco Prophetam edere nequibat? Denique tametſi omnia Phariſæis demus, minime tamen conſequitur, Jeſum non fuiſſe Meſſiam, quippe quem neque ortu, neque genere Galilæum fuiſſe, certum ſit. Subeunte jam tum veſpere, omnes ad propria remearunt; Jeſus vero totam illam noctem in monte Olivarum exegit, fortaſſe ne obnoxius eſſet inimicorum inſidiis (*a*).

XVI.

(*a*) Joan. VII. 37.

Mulier in adulterio deprehenſa a Chriſto abſolvitur.

XVI. Rediit in Templum mane; adductaque ad illum muliere in adulterio deprehenſa, dolo malo a Scribis & Phariſæis requiſitus eſt, quid facto opus eſſet, cum tamen ex Lege lapidari deberet? Populus quidem Legis ſtudioſiſſimus erat; ſed illi tunc temporis judiciorum capitalium facultas erat adempta, ut fert communis opinio; quare illud fortaſſe moliebantur Chriſti inimici, ut ipſum vel cum Romanis committerent, ſi eam lapidibus obruendam eſſe pronuntiaret; vel cum Populo, ſi negaret (*a*). Verum Jeſus ſiluit, atque in terram inclinatus, digito in pulvere ſcribere cœpit. Scribebatne vere, an confuſe tantum lineas deſcribebat, quaſi ludo intentus, accuſantes non audiret (*b*)? Si autem vere ſcribebat, quid tandem? Uniuſcujuſque accuſantium peccata? Ita S. Hieronymus (*c*). Sententiam illam, ab ipſomet Chriſto prolatam: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui; trabem autem in oculo tuo non vides*? Ita S. Ambroſius (*d*). An illud quod poſtea idem Chriſtus dixit: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*? Ita Venerabilis Beda & S. Thomas. Aptius huic rei putatur a Calmeto illud Pſalmi: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas* (*e*). Inſtan-

(*a*) Grot. Brug. Ligf. Piſc. Calm.

(*b*) Euthym. Beda. Mald. Grot.

(*c*) Hieron. l. 2. contra Pelag.

(*d*) Ambroſ. l. 7. ep. 58.

(*e*) Pſal. XLIX. 16 17.

ſtantibus autem accuſatoribus, ut ad propoſitam quæſtionem reſponderet; ſurrexit a terra, juſſitque, ut qui nulla peccati conſcientia teneretur, omnium primus lapides in illam jaceret; quibus dictis iterum inclinatus ſcribendo incubuit. Illi veriti, uti quidem creditur, ne ſua ipſorum probra a Chriſto palam aperirentur, ſinguli poſt alios alii, & omnium primi ſeniores, diſceſſere. Tunc Jeſus ſurgens, ſeque cum femina ſolum in medio multitudinis videns, illam interrogavit, utrum a quopiam damnaretur? Cumque illa, a nemine damnatam, reſpondiſset: *Nec ego*, ait Jeſus, *te condemnabo. Vade, & jam noli amplius peccare* (*a*). Mulieris flagitium non probavit Chriſtus, ſed damnavit; juſſit enim amplius non peccare. Mulierem tamen dimittit, eamque a ſe damnatam iri negat, ſive quod non venerit in Mundum, ut Judicis officio fungeretur (*b*); ſive quod rei circumſtantiæ gravitatem peccati valde minuerant; ſive tandem quod Chriſtus ſecretam illius pœnitentiam agnoſceret.

Hiſtoriæ veritas.

XVII. Hæc hiſtoria in multis, maxime Græcis, S. Joannis exemplaribus, teſte Hieronymo, olim deſiderabatur (*c*). Suſpicatur Auguſtinus (*d*), ex Fidelibus quempiam illam expunxiſſe e codicibus S. Joannis vano timore perſuaſum, ne ſcilicet videretur Jeſus veniæ facilitate crimina probare. Grotius autumat, eam tra-

(*a*) Joan. VIII. 1.
(*b*) Joan. III. 17.
(*c*) Hieron. l. 2. cont. Pelag. c. 6.
(*d*) Auguſt. l. 2. de Adulterin. Conjug. c. 7.

traditam Diſcipulis viva voce ab Apoſtolis, at in Evangeliis omiſſam, quod facile calumnia arripi potuiſſet, traducendi Chriſtianos apud Magiſtratus, quaſi everterent publicam Judiciorum auctoritatem; ſucceſſu vero temporis ſacro codici additam fuiſſe. Millius defendit, ſciolum aliquem eam narrationem Joannis Evangelio ex Evangelio ſecundum Hebræos, in quo vitiata multa legebantur, additam putaſſe, adjectoque veru; notaſſe tamquam dubiam, ab alio autem audaciore tandem expunctam. Grotii opinio minime placet. An autem aliæ veritate conſiſtant, ignoramus. Hiſtoriam tamen ſuſcipimus, conſentientibus non ſolum Catholicis omnibus, verum etiam ſaniore Proteſtantium parte. Ut vero cetera omittamus, quæ huc ſpectant, Tatianus, qui anno circiter 160. Jeſu Chriſti floruit, 60. poſt Joannis Evangeliſtæ obitum, & Ammonius anno ferme 220. Jeſu Chriſti, & 120. poſt Joannem ſcribens, narrationem de muliere adultera agnovere canonicam, & in Evangelica Concordia, ab utroque concinnata, ex qua deſumpſit Euſebius, Tabulis ſeu Canonibus inſerendam, recitavere. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus nihil adverſus excipiunt, quamquam Græcorum Exemplarium diſcrepantiam probe noſſent. Concilium denique Tridentinum locum hunc una ceteris in Canonem accepit.

Jeſus populum docet. Cæcus a nativitate curatur. Paſtoris, Mercenarii, & Furis diſcrimen. Feſtum Dedicationis Templi. Parabola Judicis iniqui. Altera Phariſæi & Publicani. Chriſtus unum ſe dicit cum Patre. Judæi ad lapides in Jeſum procurrunt.

CAP. V.

I. ACcuſatoribus cum probro, muliere vero cum venia dimiſſis, Chriſtus iterum multitudinem alloqui ſuſcipiens: *Ego*, inquit, *ſum Lux Mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*. Objicientibus autem Phariſæis, quod de ſe ipſo teſtimonium ferret, repoſuit, teſtimonium ſuum verbis non fulciri inanibus, ſed iis argumentis prodigiiſque, quibus veritas ſuæ miſſionis comprobaretur; nec ſe unum dumtaxat de ſe teſtari, ſed teſtem accedere & Patrem; ex Legis autem præſcripto duorum teſtimonium ratum aſſertumque haberi (*a*). Rogaverunt illi, ubinam Pater ipſius verſaretur? Quibus Jeſus: Si cognoſceretis, quis ego ſim, iſtud ex me non quæreretis: me igitur agnoſcite, antequam rogetis, quis mihi Pater. Hæc diſputabat Jeſus in Templi gazophylacio, quo ſcilicet munera Templo oblaturi accedebant. Cum autem deſtinata Chriſto moriendi hora nondum veniſſet, nemo, licet id maxime cuperet, & locus etiam invitaret, inji-

ANNO MUNDI 4032. Chriſti. 32. Æræ Vulgaris 28.

Chriſtus Lux, & Principium.

(*a*) Deut. XVII. 6. & XIX. 15.

injicere in eum manus auſus eſt. Denuntiavit deinde Chriſtus, abiturum ſe jam, fruſtra tunc ab illis quærendum; ſed in ſuo ipſorum peccato adhuc verſantes a morte occupatum iri; ac tandem quo ipſe abiret, venire illos non poſſe. His auditis Judæi alter ad alterum: Numquid interficiet ſemetipſum? Et Jeſus: Vos terreni eſtis, nihilque niſi terreno modo intelligitis; ego, qui e Cælo veni, aliter rem intelligo. Prædico iterum, niſi fidem mihi addixeritis, in peccato veſtro moriemini. Hanc libertatem ægre ferentes Phariſæi, irati quæſiere: Tu quis es? Reſpondit Jeſus: *Principium, qui & loquor vobis* (*a*). Porro nomen hoc *Principium* maxime Chriſto quadrat, cum per ipſum omnia creata ſint, & ſubſiſtant (*b*). Hoc illi nomen vindicat Apoſtolus: *Qui eſt Principium, primogenitus ex mortuis* (*c*). Ipſemet Chriſtus ſe ipſum in Apocalypſi appellat *Alpha & Omega, Principium & Finis* (*d*). Improbandæ ergo explicationes illæ: Antequam vobis, quis ſim, aperiam, audite quæ vobis mihi annuntianda ſunt; ſive: Ante omnia, audite quæ loquor; ſive tandem: Ego idem ſum, qualis toties, & jam inde a principio manifeſtavi: hujuſmodi enim interpretationes parum profecto Chriſti Divinitati ſuffragantur, nihilque ceteris Scripturæ teſtibus cohærent.

Judæi Diaboli filii. II. Multa ſunt, adjecit, quæ adverſus vos, veſtramque in damnationem dicere poſſem; cer-

(*a*) Joan. VIII. 12.
(*b*) Joan. I. 3.
(*c*) Coloſſ. I. 18.
(*d*) Apoc. I. 8.

certumque vobis eſto, minas meas neque inanes eſſe neque temerarias; ea quippe dumtaxat loquor, quæ me docuit Pater, falli & fallere neſcius. Cumque me exaltaveritis, hoc eſt, in crucem tuleritis, tunc denique cognoſcetis, quis ego ſim, intelligetiſque, me nihil aut agere, aut loqui præter id quod Patri placet. Ille ſemper mecum eſt; idcirco ego quæ placita ſunt ei facio ſemper. Poſt Chriſti obitum multi ſane ex Judæis in ipſum credidere. Alii aliter interpretantur, quaſi Jeſus prædixerit, poſt mortem ſuam Patris furorem in Judæos ita flagraturum, ut vana ipſum minime annuntiaſſe, tandem intelligant. Hæc differenti fides a multis eſt adhibita; quibus dixit, ſatis non eſſe, ad tempus credere, ſed conſtantiam in credendo requiri, ut diſcipuli illius eſſe poſſint, & a ſervitute liberari. Ad quæ Judæi, nemini ſe unquam ſerviiſſe, utpote qui Abrahamum auctorem haberent; nullaque propterea ſe indigere manumiſſione. Quare reſumpto Jeſus ſermone: *Omnis*, ait, *qui facit peccatum*, *ſervus eſt peccati*. Si igitur in peccato pertinaces eritis, ſervorum more excipiemini. Dicitis, vos Abrahami eſſe filios. Sed cur viri illius facta non imitamini? Mihi veritatem docenti necem molimini: iſtud ne geſſit Abrahamus? Alius certe vobis pater eſt ab Abrahamo, cum talia machinemini. Tunc illi: Nos ex fornicatione non ſumus nati, id eſt, falſorum Numinum cultum non ſequimur, ſed unum Patrem habemus Deum. Et Jeſus: Si Deus Pater veſter eſſet, dilige-

retis utique me, quia a Deo miſſus ſum; gratiſſimumque vobis foret, ſi quis de illo, ejuſque nomine vobiſcum loqueretur. Cum vos veritatem odio habeatis, meamque in mortem jugiter conſpiretis, certiſſimis hiſce indiciis oſtenditis, patrem vobis eſſe Diabolum, qui jam inde a Mundi exordio mendacii, & mortis auctorem ſe fecit. Ex Chriſti verbis colligebant Manichæi, duo eſſe principia, Bonum alterum, alterum Malum; illud a Deo, hoc a Diabolo. Verum nil aliud innuitur, quam Judæos exemplar ſuorum actuum ſibi propoſuiſſe Diabolum, qui Hevam ſefellit, ipſique & viro, tum poſteris omnibus moriendi neceſſitatem invexit. Cum res, ſequitur Chriſtus, a me geſtas ſedulo ſcrutemini, an quicquam in me nacti eſtis reprehenſione dignum, quodve verbis, quæ prædico, non reſpondeat? Cur igitur veritatem annuntianti fidem non adhibetis? Quia ex Deo non eſtis, mens veſtra invidia plena & odio, veritatem non audit, non videt (*a*).

Judæi Chriſto Samaritani & Dæmoniaci notam appingunt. Abraham diem Jeſu videt.

III. Hæc audientes Judæi reſponderunt, ſatis ſe argumenti habere, ut illum dicerent Samaritanum, & Dæmoniacum. Samaritanum appellari, idem erat, ac ſi prophanus, ſchiſmaticus, hæreticus, Judaicæ nationis hoſtis diceretur. Probroſæ autem hujus appellationis rationem ex eo facile deſumebant, quod Samaritanos inſtruxerat, minimeque a ſalute, modo converterentur, excluderet. Fortaſſe etiam Judæorum ritus, & majorum inſtituta non ita vereri

(*a*) Joan. VIII. 26.

feri videbatur, ut ipſi voluiſſent. Sed cur Dæmoniacum vocant? Quod putarent, ipſum Dæmoniorum ope prodigia patraſſe? Quod crederent, furere illum, atque inſane loqui? Utrumque non immerito aſſereretur. Priori de Samaritano contumeliæ parti Chriſtus non reſpondit, utpote ineptæ, cum dubitari merito non poſſet, quin ipſe & genere & Religione Judæus eſſet. Alteram de Dæmoniaco divina prorſus lenitate & modeſtia ita diluit. Ego Dæmonium non habeo. Si quid in verbis meis, aut operibus eſt quod extraordinarium videatur, iſta idcirco prædico & gero, ut gloriam Patri meo exhibeam, munuſque ab illo mihi creditum cum vitæ etiam diſcrimine tuear: nec probrum mihi a vobis objectum refello, gloriæ meæ, aut ultioni ſtudens; illius dumtaxat, qui me miſit, dignitatem defendo. Quod ad me attinet, curam mei ipſe gerèt, irrogatamque mihi contumeliam ulciſcetur. Hoc pro certo moneo: ſi fidem verbis meis habueritis, mortem non experiemini. Indignati ad hæc plus ſolito Judæi: Nunc, inquiunt, te deprehendimus, teque a Dæmone agi, magiſque inſanire comprobamus. Abrahamus, & Prophetæ viri ſanctiſſimi mortui ſunt, & tu moriturum negas eum qui verba tua coluerit? An tu Abrahamo & Prophetis major? Quem te facis? Falſo nititur principio tota hæc Judæorum argumentatio; quippe qui vitam hujus temporis a Chriſto ſignificari exiſtimant, cum is de æterna animæ vita loquatur. Ego, inquit Chri-

ſtus, ex laboribus meis gloriam non quæro, aut vitæ commoda, uti ſolent falſi Prophetæ & impoſtores. Pater meus ſibi ſumpſit, ut prodigiorum ſplendore me illuſtraret. Veſtrum vos illum dicitis eſſe Deum; ſed Deum hunc vos ignoratis; ego autem illum novi. Si notus ille vobis vere eſſet, illius præcepta, adinſtar mei, ſervaretis. *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt* (*a*). Horum verborum non una habetur interpretatio. Abrahamus anxiis votis præſtolatus eſt adventum meum in terras (*b*), vel mortem ac paſſionem (*c*); cumque intelligeret, eo tempore cunctis hominibus offerendam eſſe ſalutem, ſummopere lætabatur. Beatiſſimum autem hoc tempus vidit in Spiritu, Deo monſtrante, tunc potiſſimum cum Iſaacus ipſius filius in lucem editus eſt, vel cum divinitus liberatus eſt, in pyra mox mactandus. Sunt etiam qui cenſeant, Abrahamum ceteroſque Patriarchas in Abrahami ſinu detentos, eo ipſo in loco Meſſiæ adventum intellexiſſe, immenſoque fuiſſe gaudio perfuſos (*d*). Alibi vidimus, nonnullos Chriſti verba detorquere ad Abrahum Melchiſedecho munera offerentem, vel Angelos hoſpitio excipientem (*e*). Illud porro evincere volebat Chriſtus, veros ſcilicet Abrahami filios non eſſe Judæos, quippe

(*a*) Joan. VIII. 48. &c.

(*b*) Iren. Origen. Cyrill. Hilar. Bernard.

(*c*) Chryſoſt. Ammon. Euthym.

(*d*) Mald. Janſ. Cornel. a Lap.

(*e*) Vide hanc Hiſtor. l. 2. c. 1. n. 17.

pe qui ſpernant, quærantque ad necem illum quem illorum pater Abrahamus enixis adeo deſideriis cernere optaverat, & cujus adventum tanta gaudii effuſione intellexerat. Reſponderunt autem Judæi: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Quibus Jeſus: Antequam Abraham fieret, ego ſum. Nec plura; concurrentibus enim ad lapides Judæis, Jeſus continuo e Templo ſe ſe ſubduxit.

IV. Cum paulo poſt rediiſſet, urbem die Sabbati inambulans, cæcum ab ortu offendit. Rogantibus Diſcipulis, cujuſnam peccato hæc viro accidiſſent, proprio ne, an parentum? nihil horum in cauſa fuiſſe, reſpondit, ſed ei permiſſum morbum, ut ex illius curatione gloria Dei colluceret; feſtinandum autem ſibi eſſe, ut opus ad quod miſſus fuerat, abſolveret, ceu mercenarius, cui nox inſtat; miſſum vero fuiſse, inſtar Solis, omnia illuminantis; ob idque debere ſe cæco illi oculorum uſum reddere. Tunc formato ſaliva ſua luto, cæci oculos linivit, juſſitque ad fontem Siloe lavatum iret. Paruit ille, ſtatimque viſum recepit. Fontem Siloe noſtra adhuc ætate colunt Turcæ, ejuſque aquas oculorum morbis ſalubres prædicant. Cum autem vir ille mendicans eſset, proindeque urbe tota notiſſimus, quicumque ipſum poſt receptam valetudinem offendebant, falli ſe, atque alterum pro altero uſurpare arbitrabantur. Verum ille, hominem ſe eſse cæcum, antea ipſis cognitum, ſancte affirmans, totam receptæ valetudinis

Cæcus a nativitate ſanatur.

hiſtoriam narrabat. Phariſæi illum acciverunt, interrogaveruntque, qui viſum recepiſset? Illo rem totam iterum exponente, ex Phariſæis plures contendebant, Chriſtum, tanti prodigii auctorem, a Deo miſsum non fuiſse, cum Sabbati religionem eo opere violaſset. Sed aliis vix perſuadebatur, hominem, qui impius eſset, tale miraculum patrare umquam potuiſſe. Res ad cæcum ipſum deducta eſt; qui liberatorem ſuum eſse Prophetam, palam teſtabatur. Interim acciti & cæci parentes interrogantur, num filium hunc ſuum noſcerent, ſcirentque a nativitate cæcitatis morbo laboraſse? Affirmarunt illi; ſed de recepta ab ipſo valetudine nihil comperti habere ſe addebant; ipſum, utpote ea ætate, quæ reſpondendo par eſset, interrogarent. Hac illi cautione locuti ſunt metu Phariſæorum, a quibus pellendos ſe norant e Synagoga, ſi Jeſum Meſſiam eſse dixiſsent. Statutum igitur iterum coram cæcum etiam atque etiam hortabantur Phariſæi, ut vera in Dei gloriam proderet, exploratum nempe habere ſe, Jeſum hominum eſse nequiſſimum: quo loco ipſi illum habebant. Tunc cæcus: Cum vos impium eſſe illum aſseratis, cauſam aſserendi non quæro; at illud ſcio, me ab eo fuiſse curatum. Interrogatus iterum, qua ratione cæcitatem Jeſus depuliſset, reſpondit, ſe jam omnia narraſse, quæſivitque, num vellent & ipſi inter illius Diſcipulos recenſeri? Commoti ad hæc, dira in illum imprecati: Tu, inquiunt, Diſcipulus illius ſis: nos Moyſem habemus Magiſtrum

ſtrum, cui utpote a Deo certiſſime miſso numquam repudium dabimus, ut ignotum obſcurumque hominem ſequamur. Mirum profecto eſt, excepit alter, vos adhuc dubitare, utrum Jeſus a Deo ſit miſsus, poſtquam in me prodigium geſserit, quod ipſi negare non audetis. Scimus enim, impios, falſoſque Prophetas a Deo non exaudiri, nec ornari prodigiis. Oculos cæci a nativitate nemo hucuſque aperuit. Qui igitur fieri poteſt ut Dei amicus non ſit qui hoc primo præſtitit? An credibile eſt, peccatori favere Deum, eamque illi poteſtatem, quam nullis umquam viris ſanctiſſimis largitus eſt, impertiri? His offenſi Phariſæi: *In peccatis natus es totus*, exprobrarunt, *& tu doces nos?* Nec mora; illum e cœtu ejicerunt. His verbis: *In peccatis natus es*; quemadmodum & illis Apoſtolorum: *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur* (*a*)? inſinuatur error, qui apud Judæos vigebat, animas ſcilicet ante corpora exiſtere, aut metempſychoſim exercere, trudique in corpora, variis incommodis interdum affecta, ut in eis peccatorum ante actæ vitæ pœnas luerent (*b*). Cum vero idem cæcus dixit, Deum non exaudire peccatores, nec illis concedere ut prodigia edant, ex vulgi opinione locutus eſt; nam contraria ex ipſa quoque Scriptura probarentur. Certior factus Jeſus de omnibus, quæ in cæcum egerant Phariſæi, illi in via occurrens, num crederet in

E 4 Fi-

(*a*) Joan. IX. 2. l. 1. c. 2. n. 9. & l. 12. c. 5.
(*b*) Vide hanc Hiſtor. n. 4.

Filium Dei interrogavit. Ecquis eſset Filius Dei, reſpondente altero, non alium quam ſe, ait Chriſtus. Continuo cæcus ad pedes Jeſu, quem hactenus nonniſi merum hominem, quamquam ſanctiſſimum, & Prophetam crediderat, accidens, adoravit. Tunc Jeſus ait, ideo ſe in Mundum veniſse, ut cæci lumen reciperent, offunderentur autem tenebris videntes: quæ, cum ad ſe pertinere intelligerent, qui forte aderant, Phariſæi, num ſe pariter cæcos diceret, interrogarunt. Quibus Jeſus: Si ea vobis eſset animi demiſſio, ut ignorantiam veſtram agnoſceretis, quæſito remedio facile ab ea, atque a crimine, quod inde oritur, liberaremini. Cum vero ambitione & ſuperbia pleni, ſapientes vos eſſe putetis, peſſima animi veſtri habitudo perſeverat.

Parabolæ Furis, Mercenarii, & Paſtoris. V. Parabolam tunc inſtituit Furis, Mercenarii, & Paſtoris. Fur latet, diſſimulat, confringit fores, vel tranſilit vallum, ſive ſeptum, ubi noctes agunt oves; malo enim conſilio invadit ovile, ut ſcilicet oves rapiat, perdat, mactet. Mercenarius operam ſuam paſcendo gregi ob mercedem locat, nullaque gregis cura tangitur, & ubi lupum videt, nedum non repugnat, fugatque fuſte, manu, voce, ſed fugit ipſe, gregemque lupo diripiendum relinquit. Paſtor tandem ſecure ac palam per oſtium, Janitore ultro aperiente, intrat ad oves, quas ſuo ſingulas nomine donat, ducit ad paſcua, reducitque ad caulam, vitamque diſcrimini objicit, ut eas tueatur. Illæ viciſſim vocem paſtoris audiunt, eumque ultro ſemper-

perque ſequuntur. His taxabat Chriſtus populi Doctores ac Principes, maxime vero Phariſæos, quos alloquebatur, in illud potiſſimum incumbentes, ut uni ipſi Magiſtri, ac ceterorum duces haberentur, non vocante Deo, ſed impellente ambitione, lucrandique ſtudio, id muneris aſſumentes, ſævienteſque in eos, qui aliter ac ipſi ſentirent. Cum autem hæc illi minime aſſequerentur, Chriſtus palam pronuntiavit, eſſe ſe nedum Paſtorem bonum, cui nil deſit eorum, quæ ad hujuſmodi munus ſpectare videntur, ſed & ovilis portam, per quam, ſi quis non tranſeat, dum in ovile ingreditur, fur ſit oportet, & latro. Adjecit etiam, habere ſe alias oves, quas in idem ovile cogere debeat, ut tandem fiat unum ovile, & unus Paſtor. De Ethnicis ſane loquebatur, qui non ſecus, ac electi ex ipſa Synagoga Fideles, in novum ſuæ Eccleſiæ ovile ſub unico Paſtore cogendi erant. Tandem ſignificavit, inter cauſas, cur a Patre amaretur, ex ultimis non eſſe, quod vitam ob gregis utilitatem, & in obſequium divinæ voluntatis daturus eſſet; ſponte tamen & libere, cum eam dedere, atque iterum ſumere pro arbitrio valeret. Hæc Judæos inter ſe commiſerunt, aliis agi a Dæmone illum contendentibus, negantibus aliis; neque enim, dicebant, Dæmoniacus talia loqueretur, nec cæco a nativitate viſum reſtitueret (*a*).

VI. Poſt hæc, Jeſus in Galilæam venit, ubi tandiu ſubſtitit, donec immineret Feſtum Encenia, *Decem leproſi mundantur.*

(*a*) Joan. x. 1.

cenia, ſive Dedicationis Templi, expiati per Judam Machabæum (*a*), quod die 25. menſis Casleu, cum noſtro Novembri & Decembri congruentis, celebrabatur. Tunc igitur Hieroſolymam repetens, Galilæam & Samaritidem pertranſivit; cumque juxta quamdam urbem veniſſet, decem leproſos obviam habuit, quibus opem rogantibus præcepit ut irent oſtenderentque ſe Sacerdotibus. Cum irent, mundati ſunt; quare unus ex illis, Samaritanus genere, ad Jeſum quem Sacerdotibus omnibus majorem eſſe credebat, regreſſus, gratias egit. Memorem viri animum laudavit Jeſus, ceterorum ingratitudinem deteſtatus (*b*).

Regnum Dei jam adveniſſe. Alter Chriſti Adventus.

VII. Templum ingreſſus, requiſitus a Phariſæis quandonam Regnum Dei expectaretur? Reſpondit, illud nequaquam iis diſtingui indiciis, & præſagiis, quæ perſpicua omnibus eſſent; minimeque definitis alicujus regionis terminis conſtringi; poſſe tamen ſe illos certiorari, Regnum Dei jam adveniſſe, ac inter eos verſari. Uſurpatur hic a Chiſto nomen Regni Dei, quantum credimus, pro Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutione. Non ita intelligebant Phariſæi, qui temporale, ac terrenum Meſſiæ Regnum præſtolabantur. Meram tamen veritatem loquebatur Chriſtus diſertis adeo verbis, ut ſi Phariſæi vellent, optime mentem illius aſſequerentur. Verſus autem ad Diſcipulos ſuos, prædixit, ſe corporis ſui præſentiam, poſtquam tormentis, ac neci a Judæis traditus

(*a*) 1. Mach. 4. 52. (*b*) Luc. XVII. 11.

tus fuiſſet, ipſis ſubducturum, multoſque tunc parituros, qui Meſſiæ dignitatem affectarent; caverent proinde, ne cui fiderent, ſed expectarent alterum ſui in Mundum adventum, qui improviſo, ceu fulgur, homines occupabit; eamque in rem pœnas olim cælitus ſumptas adduxit, diluvium ſcilicet ſub Noe, & incendium Sodomæ & Gomorrhæ Lothi ætate; homines enim omnino ſecuros, comeſſationibus, compotationibus, nuptiis, contractibus, & agriculturæ operam dantes, aliaque omnia cogitantes, quam ut Dei juſtitiam flecterent, ejuſque miſericordiam moverent, divina ultio abſumpſit. Monuit etiam, ne uxoris Lothi moram in fugiendo, inanemque curioſitatem imitarentur; cum adeo ſubita & inſperata calamitas illos oppreſſura ſit, ut de duobus, qui eodem in lecto ſint, vel in piſtrino, aut in agro, capiatur alter, alter relinquatur. Quare ſapiens quiſque prudenſque, de ſe uno ſollicitus, nulla cujuſvis rei, quamvis pretioſæ, ſalvandæ cura tangetur; ac ſi in tecto fuerit, & vaſa habuerit in domo, deſcendere feſtinabit per exteriorem ſcalam, quin illis auferendis conclave ſubeat; & ſi agriculturæ operam dederit, cetera omnia deſpiciens, illud dumtaxat curabit, ut quam celerrime fugiat. Explicantur hæc vel de Filio Dei iterum veniente ad ſupremum Judicium (*a*), vel de vindicta, qua ipſe, Romanorum opera uſus, in Hieroſolymam, univerſamque Judæorum gentem quadra-

(*a*) Iren. Hilar. Chryſoſt. Euthym. Beda &c.

dragesimo poſt obitum anno animadvertit (*a*). Poſterior acceptio probabilior redditur ex iis quæ ſequuntur. Rogantibus enim, quo loco hæc eventura eſſent, reſpondit: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ:* quo quidem proverbio ſignificabat, ubicumque futuri eſſent Judæi, ſive in propria ipſorum regione, ſive extra illam, in Syria, in Ægypto, in Phænicia, ibi futuros quoque Romanos, aquilarum ſigno diſtinctos, ut illis exitium inferant. In Jobo aquila dicitur in editiſſimis rupibus conſidere, atque exinde, ubi prædam, ſive cadaver viderit, voratura ſtatim eo advolare (*b*). Chriſtiani ſane Jeſu Chriſti monitis opportune utentes, ſtatim ac bellum ardere in Judæa viderunt, trans Jordanem ſe ſe recepere in ditionem Herodis, & urbem Pellam, aliaſque finitimas (*c*). Si alteram interpretationem ſequaris, ita explicabis: Ubi Dei Filius corpore indutus prodierit, ut judicium in vivos & mortuos exerceat, confluent ſtatim ad illum omnes homines, ut extremam ex eo audiant ſententiam.

Iniqui Judicis parabola.

VIII. Vim deinde orationis oſtenſurus, qua malis iſtis, aliiſque omnibus mederentur, iniqui Judicis parabolam expoſuit. Judex quidam, ait, nec Deum ſatis, nec homines reveritus, aſſiduis a vidua precibus poſtulabatur, ut in adverſarium ſuum jus tandem diceret. Diſtulit quidem ille diutius; ſed demum

(*a*) Ligf. Hamm. Cler. Calm.

(*b*) Job XXXIX. 30.

(*c*) Luc. XVII. 20. Lact. l. 4. c. 21. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 5.

mum importunitate feminæ deviſtus, morem geſſit. Iniquus Judex inopis viduæ precibus frangitur: Deus autem, cui alioquin juſta rependendi ingenium eſt, electos ſuos, die ac nocte ad ſe clamantes, non exaudiet, vindicans illos ab adverſariis, maliſque, quibus premuntur? Exercet quidem illorum patientiam: an etiam in finem uſque illorum obliviſcetur? Sed quam pauci erunt, qui Filio Hominis veniente, fidem colent, & orando perſeverent (*a*)!

IX. Aliam propoſuit parabolam, qua illos ſuggillat, qui opinione ſua adeo juſti ſunt, ut reliquos omnes parvipendant. Duo homines, inquit, oraturi in Templum aſcenderunt, alter Phariſæus, Publicanus alter; quorum primus ſtans Deo gratias agebat quam maximas, quod a reliquorum hominum raptorum, & adulterorum fæce, quibus Publicanus ipſe accenſebatur, abhorreret, longeque ſe ceteris omnibus feciſſet juſtiorem, quippe qui geminos hebdomadæ dies præter Legem jejunio ſacros haberet, decimaſque omnium rerum, quæ ſibi obtingerent, in Templi pauperumque uſum ſeponeret. Publicanus autem in ima Templi parte conſtitutus, nec oculos quidem ad Cælum tollere audebat; ſed tundens miſerabiliter pectus, ſeque peccatorem ingeminans, veniam rogabat. Publicani autem demiſſio magis Deo placuit, quam inanis ac ſuperba Phariſæi rerum bene geſtarum enarratio; quare

Phariſæi & Publicani in Templo preces fundentium parabola.

(*b*) Luc. xviii. 1.

re non hic, ſed ille e Templo diſceſſit juſtificatus (*a*).

Chriſtus ſuam Divinitatem manifeſtat.

X. Chriſtus ipſo Dedicationis Templi die in Templo ambulabat in porticu Salomonis, ita dicta vel a ſimilitudine porticuum a Salomone olim conditarum, vel ab aliquo ornamento, ſive parte, quæ adhuc ſupereſſet. Certatim tunc ad illum confluentes Judæi, rogarunt: Quouſque animos ſuſpenſos detines? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Quibus reſpondit, ſe quidem dixiſſe; ſed ipſos non dicenti tantum, verum etiam prodigia in confirmationem veritatis facienti, non credere; credituris tamen, ſi ex ovibus gregis ſui fuiſſent. Oves meæ, adjecit, vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis; nec quiſquam illas de manu mea rapere poteſt; cum Pater, cui ſane fruſtra quis reſiſteret, dederit mihi *quod omnibus majus eſt*, ſuam ſcilicet naturam & poteſtatem, adeo ut *ego & Pater unum ſimus* (*b*). His auditis, Judæi ſtatim ad lapides. Sed ille: Ex quonam potiſſimum beneficio, in vos collato, talem gratiam mihi rependitis? Cumque illi reſpondiſſent, non in beneficia, ſed in blaſphemiam, arrogantemque ſibi Divinitatem, eo ſupplicio animadverti, oſtendit, iniquum eſſe, ſibi a Deo Patre in Mundum miſſo, innumeriſque ab eo prærogativis cumulato, de uſurpato Dei nomine invidiam creare, cum Prophetæ, ſive Judices, humanam conditionem

(*a*) Luc. XVIII. 9. Joan. x. 29.
(*b*) Vide Calm. in

nem minime excedentes, apud Scripturam, quæ fallere neſcit, Dii vocentur: *Ego dixi: Dii eſtis* (*a*). Exultant hic veræ Chriſti Divinitatis oſores, oggeruntque ipſum non aliam ſibi Divinitatem arrogaſſe, quam metaphoricam, quæ Prophetis, ſive Judicibus, quibuscum ſe ſe contulit, ineſt. Verum Chriſtus ad Prophetarum ſive Judicum Divinitatem provocat, non probaturus, quid ſibi ineſſet, ſed repulſurus blaſphemiæ calumniam, qua Judæi ipſum inurere tentabant. Ut autem iis, quæ antea aſſeruerat, fidem adhiberent, crederentque ex Divinitatis unitate Patrem in ſe eſſe, ſeque in Patre, ad miracula, quæ patraverat, eos remiſit. Verum Judæi his minime ſatisfacti, manus in illum injicere tentarunt; fruſtra tamen; ſiquidem dilabens, tranſmiſſoque Jordane, venit Bethaniam, ſive Bethabaram, urbem baptiſmo, a Joanne ibi collato, ſatis celebrem, ubi aliquandiu ſubſtitit. Illuc plures ex Judæis venerunt, atque miraculorum multitudine animadverſa, cum Joannes, vir alioquin celeberrimus, nullum ſignum feciſſet, in eum crediderunt (*b*).

Chri-

(*a*) Pſalm. LXXXI. I. (*b*) Joan. X. 22.

Chriſtus annum triceſimum tertium exorditur. Lazarus obit, quem Chriſtus in vitam revocat. Divitum infelicitas. Operariorum parabola. Judæi necem Chriſti decernunt. Ille ad ultimum Paſchà Hieroſolymam venit. Sollicitudo matris filiorum Zebedæi. Zachæus domo Chriſtum excipit. Cæci curantur. Jeſus apud Simonem leproſum cœnat, & Hieroſolymam ingreditur.

CAP. VI.

ANNO MUNDI 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29. *Lazarus infirmatur.*

I. DUm in transjordanicis ageret Chriſtus, accidit ut annum vitæ ſuæ triceſimum tertium exordiretur. Ex dictis enim eo ille ſe ſe recepit poſt Templi Dedicationem, quæ circa Decembrem, menſem ipſius Nativitate conſecratum, celebrabatur. Hic ægritudine Lazari, Marthæ & Mariæ fratris, quem inter Amicos computabat, per nuntium a ſororibus miſſum accepta, dixit, morbum illum non eſse ad mortem, ſed ut gloria Dei magis magiſque coruſcaret (*a*). Biduo ab accepto nuntio quietus in loco ſubſtitit, quo temporis intervallo obire Lazarum contigit. Oblatis ſibi interim infantibus manus imponebat; prohibentibuſque Diſcipulis ne accederent, præcepit ille ut venire ad ſe permitterent eos, quorum erat Regnum Cælorum (*b*). Secundum hæc, Diſcipulis iter in Judæam propoſuit

(*a*) Joan. XI. 1. Marc. X. 13. Luc. XVIII.
(*b*) Matth. XIX. 13. 15.

poſuit. Stupentibus autem illis, quod eo redire diſpoſuiſſet, unde nuper lapidibus appetitus, præſentiſſimum diſcrimen fuga vitarat: *Nonne*, ait, *duodecim ſunt horæ diei*? Si quis ambulaverit in die, non offendit, luce viam oſtendente; ſecus qui in nocte. Alludit Chriſtus ad peregrinum, cui tota die iter habendum eſt; quaſi dicat: Proficiſci debeo, & Patris opera perficere, dum vitæ meæ vel una hora ſupereſt. Judæi autem quantumvis conentur, tempus mortis meæ, quando ſcilicet nox regnabit, & tenebrarum poteſtas (*a*), urgere non poſſunt. Elapſo termino vitæ meæ a Patre conſtituto, furori illorum dabitur locus.

II. Expoſuit deinde Jeſus, Lazarum ſopitum quieſcere, ire autem ſe, ut carum amicum a ſomno excitaret. Tunc Diſcipuli: Quorſum in Judæam proficiſceris, ut ægrotum dormientem excites? Ipſe per ſe ſe expergiſcetur. Videns autem Jeſus, quod verba ſua a Diſcipulis non aſſequebantur, aperte ſignificavit, mortuum eſſe Lazarum; percommodum autem accidiſſe ut decumbenti præſens non adeſſet. Si enim adfuiſſet, illum curaſſet; abſtuliſſetque luculentiſſimam oſtendendæ Dei gloriæ, illorumque fidei confirmandæ opportunitatem. Majus quid ſane erat mortuum in vitam revocare, quam ægro ſanitatem reſtituere. Tunc Thomas, qui alio nomine Didymus, ſcilicet geminus, dicebatur, unus ex Apoſtolis, verſus ad ſocios: *Eamus*, ait, *& moriamur cum eo*

Lazarus obit.

(*a*) Luc. XXII. 53.

eo (*a*), nempe vel cum Lazaro, vel cum Chriſto; utraque enim interpretatio ſuos habet patronos. Ita vero Thomam locutum, ut ceteris Apoſtolis animos faceret, aliqui crediderunt; alii autem, metum ſuum prodidiſſe malunt. Porro his verbis inſinuare voluit, certam Chriſti comitibus perniciem in Judæa manere.

Divitibus ſalus difficilis. III. Iter ergo Judæam verſus iniens Jeſus, obviam habuit juvenem quemdam qui ad ejus genua provolutus, rogavit, quid facto opus eſſet, ut ſibi vitam æternam compararet? Cui ille: *Si vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata*. Cum illa ſe ab ineunte ætate ſervaſſe adoleſcens ingenue profiteretur, amiciſſimi animi ſignificatione Chriſtus illum intuitus: Unum, ait, tibi deeſt: quicquid habes, da pauperibus, & ſequere me: hæc eſt perfectionis via, & ratio acquirendi theſaurum in Cælo. Non lætis auribus hæc excepit locupletiſſimus adoleſcens, triſtiſque receſſit, nec amplius, uti quidem creditur, in illius ſe clientelam dedit. Tunc Jeſus Diſcipulis dixit, facilius camelum per acus foramen tranſire, quam divitiis affluentem in Regnum Cælorum. Veteres plerique & novi Interpretes Camelum animal intelligunt; eratque vulgaris apud Hebræos loquendi forma, cum impoſſibile aliquid, vel ſaltem maxime arduum, ut in præſenti, ſignificarent (*b*). Alii autem, ut convenientiam

(*a*) Joan. XI. 11. Tir. Grot. Cleric. Janſ.

(*b*) Origen. Hieron. Hamm. Chryſoſt. Gregor. Mald.

tiam quamdam inter camelum & acus foramen ſervent, cenſuere, camelo hic ſignificari rudentem, funem aliquem craſſiorem ex iis, quibus uſus eſt in navibus (*a*). Contendunt alii, quamdam Hieroſolymis portam fuiſſe humilem adeo & anguſtam, ut camelum nullo modo admitteret (*b*). Auditis iis, que de divitibus Chriſtus pronuntiaverat, hæſerunt Diſcipuli, dicebantque: Quis ergo poterit ſalvus eſſe? Ad quæ Jeſus reſpondit: Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt (*c*). Tunc Petrus: Ecquid nobis erit præmii, qui poſthabitis omnibus tibi comites adhæſimus? Denuntiavit Jeſus, Apoſtolos in regeneratione ſibi adfuturos, judicandis duodecim Tribubus Iſrael, aſſeſſores; ceteros vero, qui pro ipſius Diſcipulatu bona ſua, vel domeſticos reliquerint, manere in Terris centuplum, in Cælo autem vitam æternam. Perſpicuum eſt, Regenerationis nomine hoc loco ſupremam hominum Reſurrectionem, & alterum Filii Dei adventum in die Judcii ſignificari. Autumant tamen nonnulli, eo nomine deſignari renovationem, quæ Evangelio prædicato perfecta eſt; quando & Judæi per Romanos partim necati ſunt, partim diſperſi (*d*). Si enim, inquiunt, ſupremum Judicium ſpectabat Chriſtus, cur duodecim tantum Tribuum Judæorum meminit, cum in eo

F 2

(*a*) Boch. Caſtal. Canin. Camero.
(*b*) Vide Mald. Calm.
(*c*) Matth. XIX. 16. Marc. X. 17. Luc. XVIII. 15.
(*d*) Ligfoot. Hor. Talm.

eo univerſi penitus homines adfuturi ſint? Chriſtum Judæi rejecerant, perſecuti fuerant, necaverant, ſævitiaque pari Apoſtolos exagitaverant: par ergo erat, ipſos a Chriſto, & Apoſtolis vocari in judicium, rejici, damnari. Ceterum hæc explicatio, quando admitteretur, minime repugnaret priori, de ſupremo Judicio verba Chriſti exponenti; omnes enim conſentiunt, Hieroſolymæ excidio finem Mundi ceu figura ſignificari, & duo hæc a Scriptura in unum collecta exhiberi. Orationem ſuam clauſit Chriſtus, exhibens miram illam conditionis hominum & ſtatus mutationem, quando ſcilicet *erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi* (*a*). Qui primus in hac vita fuit, in altera, ſeu in ultimo Judicio, ſi ita illius merita exigant, poſtremus relinquetur; quique hic ex ultimis fuerit, primas illic eſt occupaturus. Vel juxta alteram interpretationem, Judæi, qui primi omnium ad Evangelium vocati fuere, Filii Regni, promiſſionum heredes, excludentur, exterminabunturque, Ethnicis eorum loco ſubſtitutis, qui poſt Judæos vocati ſunt.

Parabola Operariorum. IV. Parabólam de operariis narrans: Regnum Cælorum, ait, ſimile eſt Patrifamilias, qui primo mane operarios in vineam miſit, pacta cum illis in ſingulos dies unius denarii mercede. Miſit ſubinde novos & novos, tertia, ſexta, nona, & undecima hora. Sub veſperam accitis operariis ſolvi ſingulis æqualem mercedem, nempe denarium, præcepit. Porro hoc

(*a*) Matth. XIX. 27. Marc. X. 28. Luc. XVIII. 18.

hoc iniquum videbatur operariis illis, qui omnium primi conducti fuerant. Par ne eſt, dicebant, ut ii qui ſolidi diei pondus & æſtus tulerunt, a ceteris non diſtinguantur, qui per horam tantum laboravere? Sed herus, nulla a ſe operarios affectos injuria, dixit, tributa mercede, de qua convenerant: velle autem ſe res ſuas pro arbitrio largiri, modo alterius jus non lædatur, quin iis vel minimum retardaretur oblocutionibus, quos avaritia exprimeret, vel invidia. Claudens autem parabolam, iterum Chriſtus illam ſententiam ingeſſit: *Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*; addens inſuper: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi* (*a*). Porro parabolæ intentum eo ſpectat, ut demonſtret, eamdem dari Ethnicis mercedem, idemque in Regnum, nunc Eccleſiæ, poſtmodum vero Cælorum, ipſos admitti, non ſecus atque Judæos, quamquam ii diu ante illos vocationis & Fidei beneficio donati ſint. Id autem nullo divinæ Juſtitiæ diſpendio ſtatutum eſt. Deus enim ſingulis tribuit quod debet: at præter id quod debetur, aliquid elargitur, non mercedis loco, ſed doni & beneficii, ut primos ultimis æquet, & viciſſim. Hinc quamvis Deus multos, quin & omnes vocet ad ſalutem, non omnes tamen illam conſequuntur; ſed ii dumtaxat, qui ſingulari Dei miſeratione ad illam ſunt præordinati (*b*).

Lazarus ad vitam revocatur.

V. Veniens tandem Jeſus Bethaniam, caſtellum quindecim ſtadiis ab Hieroſolymorum urbe

(*a*) Matth. xx. 1. (*b*) Act. xiii. 48.

urbe diſſitum, Lazarum quatriduo ante ſepulturæ mandatum, audivit. Cum magnus e Hieruſalem concurſus ad Martham & Mariam, Lazari ſorores, fieret, ut de regionis more lugerent, ſimul fratris mortem, eorumque dolorem levarent, nuntium de Jeſu adventu Marthæ allatum eſt: quæ in illius occurſum procedens, inter primas ſalutationes proteſtata eſt, numquam obiturum Lazarum, ſi opportunius veniſſet; ſcire ſe tamen, illius precibus tantam ineſſe vim, ut omnia a Deo obtinere valeat. Jeſus de Lazari reſurrectione fidem ſuam obligavit. Cui illa, perſuaſam ſe, fratrem una cum ceteris extrema Mundi die reſurrecturum, reſpondit. Tunc Jeſus aperte denuntiavit, ſe Reſurrectionis auctorem eſſe, dominumque vitæ, quam vel mortuis largiri poſſet, modo fides non deeſſet; cujus merito, qui ſibi crederent, immortalitatem aſſequerentur. Rogavitque deinde Martham, an vera hæc reputaret? Et illa: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum veniſti*. Jeſum antea ceu eximium quemdam Prophetam facile Martha venerata fuerat; nunc autem credit, ipſum eſſe Dei Filium & Meſſiam. Vix autem facta hac confeſſione, ex Chriſti juſſu ſororem ſuam Mariam de Magiſtri adventu monuit. Advolavit illico Maria extra caſtellum, ubi Martha Chriſto occurrerat, prope Lazari ſepulcrum; euntemque neceſſarii, qui ſolatium ſororibus exhibituri venerant, rati illam eo proficiſci, ut fratrem lugeret, ſecuti ſunt. Accidens autem illa Ma-

giſtri

giſtri pedibus, eadem, quæ antea Martha de tardo illius adventu conqueſta eſt, lacrymiſque indulſit. Ingemuit una pariter & frequens amicorum manus. Miſeratione tactus Jeſus acri intimoque dolore infremuit. Cum autem ad ſepulcrum, de quo circumſtantes requiſierat, deduceretur, lacrymas amico ſolvit. Tunc Judæi: Multum equidem Lazarum amabat. Nonnulli vero: Cum tam valide amaret, cur incolumem non reddidit? Qui cæcum a nativitate liberavit, cur quid ſimile pro amico non præſtitit? Neſcimus autem, utrum hæc illi bona fide dicerent, an animo in Chriſtum livido & incredulo, quaſi dicerent: Cur amicum non ſervavit, ſi cæcum curaſſe non falſo dicitur? Sepulcra in rupe excidere ſolebant Judæi, eaque apto lapide & ad oſtii amplitudinem cæſo claudere. Intra ſpeluncam cadaver jacebat, in paris magnitudinis alveo ſeu loculo. Ad Lazari igitur ſepulcrum accedens Chriſtus, iterum infremuit ſpiritu, lapidemque, quo tumulus occludebatur, juſſit removeri. Martha Jeſum monuit, fratris cadaver jam fætere, quod a quatriduo jam obiiſſet. Cui ille: Nonne futurum prædixi, ut Dei gloriam videas, modo fidem habueris? Sublato autem lapide, Jeſus actis Patri gratiis, quod ſe ſe, nedum ea occaſione, ſed ſemper exaudierit, voce magna: *Lazare*, clamavit, *veni foras*. Mirum ſane: Lazarus ad illud imperium tumulo egreſſus eſt; idque prodigium auxit, quod ſcilicet velata facie, ac manibus pedibuſque inſtitis, ceu puer, obvolutus, e monumen-

numento, nemine opem præbente, prodierit. Solvi tunc omnia, & liberum virum relinqui iis qui aderant, Jeſus præcepit. Nullum profecto prodigium majoribus veritatis indiciis comprobaretur. Lazarus videlicet quartum jam diem mortuum, qui putreſcere jam inciperet, ac fæteret, cujus e ſepulcro lapidem ipſimet Judæi, Chriſti hoſtes, removerunt, egreditur faſciis ligatus, ipſis præſentibus, quin & ab ipſis ſolvitur. Mirari autem ſubit, cur nobilem adeo hiſtoriam unus Joannes referat. Succurrit Grotio, cum ceteri Evangeliſtæ ſcriberent, ſuperſtitem adhuc fuiſſe Lazarum, & periculum ei fuiſſe a Judæis, ſi, quod ipſi acciderat, palam vulgaretur. Nam refert idem Joannes, Judæos minuendæ Chriſti gloriæ Lazarum necare decreviſſe (*a*).

Mors Chriſti ſtatuitur. VI. Reſurrectionis Lazari teſtis frequentiſſima Judæorum turba, pars quidem in Jeſum credidit, pars vero nuntia ad Sacerdotes, & Phariſæos venit: qui audita prodigii magnitudine doluerunt, metuque concuſſi, ne populi in Jeſum ſtudio, quod in dies augebatur, Romanorum furor in Templum totamque Gentem provocaretur, de re tota deliberaturi concilium adunarunt. Cum varii varia proponerent, Caiphas, penes quem ſumma erat ſacerdotalis dignitas, nullum eſse, pronuntiavit, conſultationi locum, ſed *expedire illis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Cum iſta diceret Caiphas, hoc omnino volebat conducibilius eſſe ut unus interficeretur

(*a*) Joan. XII. 10.

retur homo, quam illius cauſa populus furori Romanorum obnoxius fieret; ſed linguam Caiphæ, quod eſſet Pontifex anni illius, ita moderatus eſt Spiritus ſanctus, ut is vel invitus vaticinaretur, Chriſtum moriturum pro ſalute hominum, non Judæorum tantum, ſed etiam Ethnicorum, per varias Orbis plagas diſperſorum, qui Dei filii futuri deinde erant, atque in Eccleſiam congregandi. Communi igitur conſilio Jeſu Chriſti mors decreta eſt. Quare Jeſus Judæorum devitans congreſſum, in Ephrem ſeu Ephraim, ignobilem vicum, in loco ab hominum frequentia remoto, una cum Diſcipulis ſuis ſeceſſit; ibique duos circiter menſes ſubſtitit (*a*).

Chriſtus iter Hieroſolymā verſus init.

VII. Adventante Paſchatis Feſto, quod pro Chriſto ſupremum fuit, quamplures e vicinia, Ephrem Hieroſolymam petiere, ut expiarentur, ſeque ad Paſcha celebrandum compararent, ſeptem ſcilicet, vel octo dierum ſpatio ante illud Feſtum. In eamdem viam ſe dedit & Chriſtus. Majorem in illo oris & greſſus conſtantiam per hoc iter animadverterunt ipſius Diſcipuli; quod cum admirarentur, ſimul tamen timebant tum illi, tum ſibi, dubitabantque, ne definitum mortis illius tempus adveniſſet, ipſique illius cauſa diſpergendi eſſent, & perſecutionibus exagitandi. Seorſim autem illis revocatis expoſuit Jeſus, quæ ſibi Hieroſolymis mala imminerent, ubi Sacerdotum, & Seniorum invidia captus, ac morte damnatus, gentibus, Romanis ſcilicet, traden-

(*a*) Joan. XI. 45.

Digitized by Google

dendus eſſet, a quibus poſt varias injurias, ſputa, ac flagella, cruci affixus occideretur, ad vitam tamen poſt hæc omnia tertia die rediturus. Animadvertit S. Lucas, Apoſtolos minime percepiſſe ea, quæ a Chriſto dicebantur (*a*). Satis illi quidem aſſequebantur, quid illud eſſet, capi, gentibus tradi, cruci ſuffigi, e mortuis reſurgere; ſed quoniam hæc cum iis, quæ de Meſſia ejuſque temporali Regno juxta Judæorum opinionem noverant, componi non poſſe viderentur, myſterium Chriſti verbis ineſſe facile arbitrabantur, neque ejus rei modos rationeſque intelligebant.

Matris filiorum Zebedæi ſollicitudo.

VIII. Diſputante Jeſu de ſua ipſius, Reſurrectione, Salome, uti appellant nonnulli, Jacobi & Joannis Zebedæi filiorum mater, Regnum Meſſiæ Reſurrectionis nomine indicatum rata, ceſſandum ſibi eſſe non duxit, ut aliquid pro filiis ab eo peteret. Rogavit igitur Chriſtum, ut filios ſuos ad præcipuas Regni ſui ſedes aſſumptos, alterum ſibi a dextera, a ſiniſtra alterum conſtitueret. Ille vero fratres allocutus, quibus impellentibus, vel ſaltem aſſentientibus mater poſtulavit: Nondum ſcitis, inquit, quid facturus ipſe ſim, quodve Regni genus ſim conditurus. Poteſtis ne bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & lavari baptiſmo, quo ego lavandus ſum? Affirmantibus adjecit: Meo quidem exemplo cruciatibus obruemini, & ærumnis; hoc ego vobis polliceor; *ſedere autem ad dexteram meam*, *vel ſiniſtram*, *non eſt meum dare vobis*, *ſed quibus paratum*

(*a*) Luc. XVIII. 34. Joan. XI. 54.

tum eſt a Patre meo (*a*). Chriſtus hic ex hominis natura loquitur, non qua Deus. Niſi mavis, hic efferri, non quod poteſtatis eſt, in quo Filius Dei nihil Patri concedit; ſed quod officii: ferme uti alibi Chriſtus ait, Patrem non judicare quemquam (*b*); quibus verbis certe Pater a judicandi poteſtate non excluditur. Sunt qui Græcum ita vertant: *Non eſt meum dare, niſi iis quibus paratum eſt a Patre meo*. Perperam igitur hoc loco abutebantur Ariani, ut minorem Filio ineſſe probarent poteſtatem, quam Patri. Hæc duorum fratrum poſtulata minus æque tulerunt ceteri Apoſtoli. Quare Jeſus illos docuit, hoc diſcriminis eſſe inter Regnum ſuum & ceterorum hujus Mundi Principum, quod ſuum humilitate & patientia vigeret, ceterorum vero ſuperbia & poteſtate; ingeſtoque ſui ipſius exemplo, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & ſua morte homines a mortis diſcrimine redimere, ad humilitatis ſtudium adhortatus eſt.

IX. Appropinquante Jerichuntem Jeſu, cæcus quidam intelligens, quod illac Jeſus tranſiret, clamavit: Domine, fili David miſerere mei: idque ingeminabat, quamvis a Turbis, ut taceret, increparetur. Virum interrogavit Jeſus, quid vellet? Cumque reſpondiſſet, ut oculi ſibi aperirentur, Jeſus ſolo tactu voti compotem fecit; qui Liberatorem ſuum ſecutus eſt (*c*). *Cæcus curatur.*

X.

(*a*) Matth. xx. 20. Marc. x. 35.

(*b*) Joan. v. 22.

(*c*) Luc. xviii. 35.

Zachæus Jeſum domo excipit. X. Cum Jerichuntem inambularet, Zachæus Publicanorum Princeps, locuplex quidem vir, ſed ſtatura brevis, ſycomorum aſcendit, ut Jeſum in frequenti populorum concurſu tranſeuntem commode poſſet videre. Boilæus ſingulari prorſus opinione verba illa, *Quia puſillus erat*, torſit ad Chriſtum. Eo Jeſus ſuccedens, conſpectum virum deſcendere actutum præcepit, denuntians, velle ſe ea die in ejus domo hoſpitari. Paruit Zachæus, eumque cum ſociis lætus excepit; quæ res variis populi de Jeſu ſermonibus, tanquam ad domum peccatoris divertente, occaſionem præbuit. Zachæus autem dixit ad Jeſum, redditurum ſe quadruplo ea quæ ſibi male parta fuiſſent; e reliquis vero dimidium pauperibus elargiturum; quæ facile coram omnibus teſtatus eſt, ut Judæorum de Chriſto obloquutiones compeſceret. Eodemque ſpectans Chriſtus, dixit, Zachæum ea die Abrahami filium factum fuiſſe & imitatorem, illiuſque domum benedictione cumulatam; ſe vero ad quærenda & ſalvanda quæ periiſſent, veniſſe (*a*).

Vir Nobilis Regnū quærit. XI. Narravit deinde parabolam viri Nobilis qui quærendo ſibi Regno in remotam regionem iter ſuſcepturus, decem minas totidem ſervis, ſingulas ſingulis diſtribuens, juſſit, pecuniam negotiationi exponerent, quo redux auctam reciperet. Porro Rex ille a ſubditis ſibi populis minus amabatur; quare vix e regionis finibus digreſſo per nuntios ſignificarunt, nolle ſe ejus imperio ſubeſſe. Verum ille Regnum obtinuit; cumque rediiſſet, accitos

(*a*) Luc. XIX. 1.

citos ſervos de pecunia requiſivit. Primus decem minas pro una, quam receperat, rependit; atque præmii loco a Rege in decem urbes præfectura donatus eſt. Alter quinque minas ſolvit, totidemque urbes obtinuit. Venit tandem tertius, qui acceptam minam, in crumena ſolerti cura ſervatam, reſtituit, dictitans, metuiſſe ſe durum, & avarum Regis ingenium, qui meteret ubi non ſeminaſſet, atque id exigeret, quod nunquam contuliſſet. Gravi ſupercilio hominem intuitus Rex: Tua, inquit, confeſſione damnaris; ſi is ſum, quem prædicas, cur quæſtum e pecunia non feciſti, ut illam cum fenore reciperem? Statimque ablatam illi pecuniam alii, qui decem minas retulerat, conceſſit, addens: Habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Perduelles vero illos, qui jugum portare nolebant, coram ſe raptos trucidari præcepit (*a*). Res Archelai, Magni Herodis filii, Chriſtus ſpectaſſe videtur. Hic enim poſt patris obitum Romam profectus eſt, ut in Regno, quod ei reliquerat Herodes, ab Auguſto confirmaretur. Judæi Romam & ipſi venientes, illum accuſavere ſævitiei, enixe poſtulantes, ut Regum jugo ſoluti, ad provinciæ Romanorum conditionem redigerentur. Sed Auguſtus illorum querelas ſprevit, Archelaus vero ab inimicis pœnas exegit (*b*). Significatur autem hac parabola Dei Filius, qui e Cælo in Terram

(*a*) Luc. xix. 11. 17. c. 11.
(*b*) Joſeph. Antiq. l.

Digitized by Google

ram deſcendit, ut inter Judæos Regnum ſibi pararet. At ab eis indigniſſime exceptus, aliquando redibit, ac ſeveriſſime in illos animadvertet. Id porro contigit in Judæorum per Romanos diſperſione, iterumque in ſupremo judicii die contiget. Altera parabolæ parte, quæ ad ſervos ſpectat, docemur, eos, qui acceptis beneficiis non bene utuntur, expoliandos eſſe, negligendoſque: quod in Judæis Sacerdotio, Templo, Sacrificiis, ac ſpeciali Dei protectione privatis, completum videmus.

Jeſus, cum duos cæcos ſanaſſet, delituit.

XII. Ex urbe Jericho egreſſus, duos cæcos, etiam atque etiam viſum poſtulantes, offendit, votique compotes fecit; quorum alter Timæum, virum in tota regione notiſſimum, patrem habebat (*a*). Poſt hæc creditur Jeſus iter quidem Hieroſolymam verſus inſtituiſſe, ſed eo minime perexiſſe, in aliquo occulto loco deliteſcens. Qui vero hæc ignorabant, poſtquam illum in Templo fruſtra quæſiſſent, invicem ſciſcitabantur, venturus ne eſſet ad illud Paſchatis Feſtum? Juſſerant enim Phariſæi & Sacerdotes, ſi quidem alicubi proderetur, illum capi (*b*).

Jeſus apud Simonem leproſum cœnat.

XIII. Sex diebus ante Feſtum Paſchatis (*c*), die ſcilicet Sabbato, 19. Martii (quamvis nonnulli diem Veneris, & alii diem Dominicum præferant) Jeſus Bethaniæ, quo Judæorum molitiones declinans diverterat, apud Simonem, cognomento Leproſum, diſcubuit. Cœnanti miniſtrabat Martha, & Lazarus conviva-

(*a*) Matth. xx. 29. Marc. x. 46.

(*b*) Joan. xi. 55.

(*c*) Joan. xii. 1.

varum numerum augebat. Maria vero, Marthæ & Lazari ſoror, ſumpta unguenti nardi ſpicati, minimeque vitiati, libra, cum os, ſive operculum vaſis ex alabaſtrite, quo continebatur, fregiſſet, caput Jeſu perfudit, tum quod reſiduum ſuperfuit, eo pedes illius oblinivit, deterſitque capillis, domo interim ſuaviſſimi odoris fragrantiam tota redolente (*a*). Eam rem Diſcipuli ægre ferebant, quibus præſtare videbatur, ſi unguentum 300. denariis divenderetur, ac pretium in pauperum uſum diſtraheretur. Hæc omnium maxime Judas exaggerabat, non quidem amore pauperum, ſed quod fur eſſet & latro. Cum enim commune æs apud illum eſſet, erogandorumque ſumptuum, ac munerum, quæ ultro offerebantur, accipiendorum curam illi Chriſtus demandaſſet, clam ſurripiebat Judas quæ poterat, ſeponebatque. Jeſus autem patrocinium feminæ ſuſcipiens, ne moleſtiam ei crearent, vetuit; quippe quæ ea unctione alteri præluderet, qua Corpus ſuum poſt mortem condire parata erat; totamque ejus rei narrationem palam per Urbem, qua late promulgatum fuiſſet Evangelium, promulgandam pariter fore, prædixit; unaque monuit, pauperes elevandi opportunitatem nunquam deeſse; ſe vero brevi abſceſsurum. Porro plures e Hieruſalem tunc Bethaniam venerunt, non Jeſu tantum, ſed & Lazari, e mortuis revocati, viden-

(*a*) Confer. Matth. XXVI. 6. Marc. XIV. 3. Joan. XII. 2. Duplicem cœnam plures hic diſtinguunt.

videndi cauſa. Sacerdotes autem famæ prodigiorum Chriſti, ac maxime reſurrectionis Lazari invidentes, animadvertenteſque, multos propterea Evangelio nomen dare, nedum Jeſum, ſed & ipſum Lazarum neci tradere decreverunt (*a*).

Triumphantis more Jeſus Hieroſolymam ingreditur.

XIV. Mane alerius diei, die Dominico, e Bethania digreſsus Chriſtus, Hieroſolymam verſus proceſſit, cumque juxta Bethphage Hieroſolymæ ſuburbium, ad radices montis Olivarum, verſaretur, duos ex Diſcipulis ad proximum pagum miſit, quibus futurum prædixit, ut inciderent in aſinam ejuſque pullum, cui nemo adhuc inſediſset. Hunc autem juſſit adducerent; & ſi quid a quoquam interrogarentur, illis Magiſtrum opus habere, reſponderent. Dictis ſua fides; quare pullum diſcipulorum veſtibus indutum adequitans Jeſus, eo apparatu iter proſequebatur, ut Zachariæ vaticinium adimpleretur: *Ecce Rex tuus veniet tibi ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ* (*b*). Acclamabant interim turbæ eunti, inſternenteſque veſtibus vias triumphum ipſius celebrabant. Erant etiam qui præciſis arborum ramis eaſdem vias ornarent, magna voce plaudentes: *Hoſanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael*. Porro *Hoſanna*, ſeu *Haſa-na*, idem valet ac *Salva, quæſo*. Hinc turbæ adprecabantur: *Domine ſerva, quæſo, Filium David*. Phariſæi, qui venientem opperiebantur, monuerunt Je-

(*a*) Joan. XII. 1. Matth. XXVI. 6. 13. Marc. XIV. 3. 9.

(*b*) Zachar. IX. 9.

Jeſum, ut turbarum acclamationes ſopiret. Negavit ille, ſe tale aliquid facturum, cum vel tacentibus illis lapides ipſi plauſus ingeminaturi eſſent (*a*). Urbi Hieroſolymorum jam proximus, oculis in illam converſis, ingemiſcens vicem illius indoluit, monuitque ut ſaltem eo tempore reſipiſceret, & mala imminentia occuparet. Prædixit, ab inimicis, id eſt Romanis, perpetuo cingendam vallo, ſoloque adeo æquandam, ut lapis ſuper lapidem in ea non ſit remanſurus; quod omnes divinæ miſericordiæ artes inanes effecerit. Inter medios acclamantis populi plauſus in urbem exceptus, ad Templum ſe conſulit, unde faceſſere juſſit omnes negotiatores, ſive qui columbas pro ſacrificiis venderent, ſive qui nummulariam pro advenis exercerent; omneſque, quos ibi offendit, cæcos claudoſque, ſanos dimiſit. Querentibus iterum Sacerdotibus & Scribis, quod nimium populi infantiumque in ſe ſtudium non prohibuiſſet: Numquam, inquit, non legiſtis: *Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem* (*b*)? Quæ quidem verba nonnulli literaliter interpretantur, quaſi Deus Omnipotentiæ ſuæ viribus puerorum adhuc lactentium ora & linguas ſolverit. Sed alii illas explicant de rudibus imperitiſque hominibus, quos Deus ſua cumulavit ſapientia, ex eiſque ſuam elicuit laudem.

(*a*) Matth. XXI. 1. Marc. XI. 1. Luc. XIX. 29.

(*b*) Pſal. v. 3.

Græci Chriſtum videre cupiunt. Vox Dei de Filium glorificando. Ficulnea arefacta. Variæ parabolæ de Judæorum reprobatione, quibus Ethnici ſuccedunt. Chriſtus pluribus quæſtionibus pulſatur. Vectigalia pendenda. In altera vita nullum conjugium. Mortuorum Reſurrectio. Meſſias Filius ſimul & Dominus Davidis. Sacerdotum & Doctorum vitia. Hieroſolymæ obſtinatio, & excidium.

CAP. VII.

Anno Mundi 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29. *Græci Jeſum videre deſiderant.*

I. GRæcorum nonnulli, quos alii faciunt Ethnicos, alii Proſelytos, alii Judæos, non quidem lingua, ſed origine, cum occaſione Feſti Hieroſolymam veniſſent, Philippum Apoſtolum convenientes, videndi Jeſum copiam ſibi fieri poſtularunt. Ille ad Andream ipſorum deſiderium retulit, uterque ad Jeſum; qui veniſſe jam horam, reſpondit, qua Filii Hominis gloria longe lateque coruſcaret. Propoſita deinde frumenti ſimilitudine, quod niſi humi putreſcat, ferendo fructum impar eſt, innuit, per mortem ad tantam gloriam ſibi viam aperiri, ſimulque ad ſui imitationem Diſcipulos invitavit, ſi quidem ſuæ gloriæ participes eſſe cuperent. Hac tamen mortis memoria turbatus, Patrem oravit, ut triſte mortis tempus a ſe removeret. Sed ſtatim paternæ voluntati quieſcens: Quid, ait, queror? Inter homines veni, ut mala & mortem perferrem. *Pater, clarifica nomen tuum.* Tunc facta de

Cæ-

Cælo vox: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Nonnulli Codices habent: *Clarifica nomen meum:* alii: *Clarifica Filium tuum*. Juxta has lectiones omnia patent. Chriſtus ut ſuæ ipſius gloriæ conſuleret, Patrem rogavit. Pater vero reſpondit, ſe illius gloriæ & hactenus conſuluiſſe prodigiis, quibus miſſionem illius illuſtraverat, & deinceps non abſimili ratione conſulturum. Si vero Vulgatæ lectionem retineamus, ut par eſt, ita prædicta verba poſſumus interpretari. Pater, quidquid vis, fiat. Cum mea mors gloriæ tuæ ſervire debeat, illam libentiſſime amplector. Reſpondit Pater: Quod cœpi, perficiam: Gloriæ meæ eſt, ut ſacrificium quod naſcendo cœpiſti, moriendo perficias: Ob gloriam meam te in Mundum miſi, ob eamdem te in Cælum recipiam. Ad inopinum vocis ſonum hæſere circumſtantes, attonitique, alii tonitrui ſtrepitum reboaſſe, alii Angelum locutum, aſserebant. Sed Jeſus dixit, vocem illam non propter ſe, ſed propter illos factam fuiſse, ut ſcilicet in fide confirmarentur (*a*).

Chriſtus omnia ad ſe trahet.

II. Monuit præterea Chriſtus, Mundi judicium damnationemque advenişse, tempuſque inſtare, quo & Diabolus hujus Mundi Princeps expelleretur, & ipſe e terra ſublatus, ſive in Cruce ſuſpenſus, omnia ad ſe traheret, Judæis ſcilicet, Ethniciſque in unam Eccleſiam vocatis. Reſponderunt Judæi, ſe ſe ex Scriptura didiciſse (*b*), immortalem eſse Chriſtum, æter-

(*a*) Joel. XII. 20. CIX. 4. Iſa. IX. 7. Ezech.
(*b*) Pſal. LXXXVIII. 30. XXXVII. 25. Dan. VII. 14.

æternumque regnaturum: Quomodo ergo, inquiunt, tu, qui te Meſſiam prædicas, tollendus es? Quibus elevandis Chriſtus ſe ſe luci comparavit, quæ licet occidat, novo tamen jubare oritur. Ait igitur: Brevi lux vos deſeret; ipſam, dum inter vos micat, ſequamini; cum receſſerit, denſiſſimæ vos tenebræ involvent. Hæc cum dixiſset, aliquandiu delituit, ne a Judæis detineretur; quippe nondum venerat tempus ipſius neci deſtinatum. Quamvis autem Judæos ſuus ipſorum livor & odium in Chriſtum cæcos contumaceſque reddidiſset, ut nullis ipſius prodigiis & doctrinis moverentur, id quod longe ante Iſaias prædixerat, dum Deum alto inſidentem ſolio, & Angelorum corona circumdatum intuitus eſt (*a*); ex Proceribus tamen multi Chriſto crediderunt, licet propter Phariſæorum metum, ne ſcilicet pellerentur e Synagoga, palam fidem profiteri non auderent. E latebris autem prodiens Jeſus, ſe Mundi lucem iterum dixit, homineſque ex ſua doctrina abſolvendos, vel damnandos, ut ipſi fidem atque obſequium, ſive neglectum contumaciamque exhibuerint. Templum dein urbemque reliquit, & Bethaniam ſeceſſit.

Ficulnea maledicitur. III. Mane alterius diei, feria ſecunda, Hieroſolymam rediens, in itinere eſuriit, accedenſque ad quamdam ficulneam, quæ ſecus viam ſurgebat, cum folia dumtaxat in ea inveniſſet, quippe ficuum tempus non erat, illi maledixit, dicens: *Numquam ex te fructus naſcan-*

(*a*) Iſa. VI. 1.

ſcantur in ſempiternum: ſtatimque arbor exaruit (*a*). Si aptum tempus ferendis ficubus non erat, cur Jeſus ſe ſe contulit ad quærendos fructus? Cur dira in arborem imprecatus eſt, quaſi culpa ſua careret fructibus? Torquent ſe in omnem partem Interpretes, ut abſurda omnia ſubmoveant, amolianturque a Jeſu Chriſto invidiam, quaſi rem a majeſtate ſua, & ſapientia alienam præſtiterit. Myſterium in hac re ſcrutati ſunt plerique. Ficus Synagogam ſignificabat; at Synagoga, quæ fructus veræ Religionis pietatiſque jugiter ferre debebat, ſuis cæremoniis contenta, pro fructibus folia tantum exhibebat. Ficui maledixit Chriſtus, non ficus ipſius cauſa, ſed Synagogæ, quam arbor ceu figura referebat. Aliis hæc non placent. Si ficulnea, ajunt, æquo jure damnata non eſt, quo pacto Synagogam æquo jure damnatam ex ea intelligimus? Alia multa non deerant futuræ Judæorum reprobationis indicia, quin hoc ipſum, ſpecie quidem ab æquitate alienum, eligeretur. Quidam igitur illud Marci: *Non enim erat tempus ficorum*: cum verſione Gothica mutatis punctis & accentibus reddunt: *Ibi enim erat tempus ficorum* (*b*). Quaſi Marcus in ea regione ſcribens, in qua ficus nonniſi autumno matureſcerent, animadverti voluerit, ficus in Palæſtina, ubi Chriſtus erat, maturas inveniri menſe Martio, quando ſcilicet ille ad ficulneam acceſſit. Sed hæc ſacri Codicis correctio audaciæ

(*a*) Matth. XXI. 18. Marc. XI. 12.

(*b*) Heinſius & Gatakerus.

daciæ aliquid continere videtur. Nonnulli tandem, retinentes Vulgatæ lectionem, docent, illud quidem conſuetum non fuiſſe ficuum tempus, præcoces tamen ficus ineſſe potuiſſe arbori tunc foliis luxurianti, maxime in Judæa, ubi hyemes non multum timentur. Ex Itinerantium fide, in Palæſtina ficus ſunt, quæ Novembri, & Decembri fructum afferunt; ſi autem calor maturandis fructibus deſit, illos ad menſes uſque Februarium & Martium ſervant. Chriſtus igitur ad arborem, quæ foliorum apparatu fructus promittit, quæque illis ferendis impar non erat, accedit, certo ſciens, nullas in ea eſſe ficus, ſed ut ex ea re opportunitatem capiat docendi adſtantes, imminere jam capiti Judæorum incredulitatis & impœnitentiæ ſuæ pœnam (*a*).

Chriſtus iterum Templi Religioni conſulit.

IV. Urbem ingreſſus Chriſtus, in Templum aſcendit, iterumque in negotiatores incidens, eorum tabulis menſiſque ſubverſis, omnes foras ejecit, reſtititque ſimul illis, qui ut viæ compendium facerent, per Templum tranſibant, vel eo ſarcinas, & mercimonia inferebant. Opportunum interim tempus perdendi Chriſti quærebant Sacerdotes; ſed nimium in illum Populi ſtudium eos remorabatur. Veſpere Chriſtus iterum Bethaniam rediit (*b*).

Mira Fidei vis. Unde Joannis Baptiſmus?

V. Feria tertia ineunte Jeſus Hieruſalem iterum rediit. In via areſactam ficulneam nacti Diſcipuli admirati ſunt; quibus Chriſtus dixit, omnia eos præſtituros, monteſque ipſos in

(*a*) Calm. in Marc. XI. 13.

(*b*) Marc. XI. 15.

in mare ad nutum translaturos, ſi quidem fiducia in Deum pollerent, ipſumque enixe poſtularent. Monuit tamen, illos nequaquam a Deo peccatorum ſuorum veniam conſecuturos, niſi ante orationem & ipſi ceteris in ſe peccantibus culpam remittant (*a*). Cum in Templo verſaretut, interrogatus a Principibus Sacerdotum, & Populi Optimatibus, qua auctoritate fretus ea quæ ceteri non auderent, ipſe præſtaret? quæſtionem quæſtione eludens, quæſivit viciſſim ab eis, quid ipſi de Joannis baptiſmo ſentirent, e Cælo ne, an ab hominibus repetendum? Congrua quæſtioni reſponſio non facile occurrebat. Reſpondentibus enim e Cælo fuiſſe: Cur dixiſſet, Chriſtus, Joanni non credidiſtis? Faſſi vero ex hominibus, magnam apud populum, Joannem loco Prophetæ habentem, invidiam ſubiiſſent. Neſcire igitur ſe reſponderunt. Tunc Jeſus par reſpondendi jus ſibi aſſumens ait: *Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio* (*b*).

VI. Parabolam dein illis propoſuit duorum filiorum, qui cum a Patre ad vineam colendam mitterentur, alter paratum ſe ſe exhibens, promiſſo non ſtetit, alter primo renuit, ſed mox reſipiſcens, paruit. Duobus iſtis filiis Judæi & Ethnici indicantur; illi enim ſe ſe morigeros Deo fore polliciti ſunt, qui tamen fidei deſunt; iſti vero initio quidem reluctarunt, ſuperſtitionibus & malis animi cupiditatibus addicti; ſed tandem pœnitentia moti

Parabola patris duos filios ad vineam mittentis.

G 4 Fi-

(*a*) Matth. xxi. 20. Marc. xi. 20.

(*b*) Matth. xxi. 24. Marc. xi. 29. Luc. xx. 2.

Fidem ſuſceperunt. Innui etiam videtur duobus hiſce filiis duplex Judæorum genus. Scribæ, Phariſæi, Sacerdotes, omnia Legis inſtituta ſe ſe ſančte ſervaturos polliciti, prorſus defuerunt. Peccatores contra quamvis a principio extra viam erraverint, ad bonam tandem frugem converſi ſunt. Hinc Chriſtus dixit, Publicanos & meretrices Joannis, viri ſanctiſſimi, prædicationibus aures præbuiſſe, eaque de cauſa illos in Regno Dei ceteris, quibuſcum verba miſcebat, præſtare (*a*). His autem propoſitæ a ſe quæſtioni Chriſtus reſpondet, ſimulque ex obliquo alteram ſolvit a Phariſæis propoſitam, quam ſubterfugere videbatur; quaſi diceret: Joannes a Deo miſſus venit ad vos; vos autem aures illi minime præbuiſtis. Si igitur vobis dixero, me Dei auctoritate agere, aures ne fidemque præbituri eſtis? At vobis ceſſantibus, alios ſibi Deus quæſivit, qui vos in Regno Dei præcedent.

Parabola vineæ vinitoribus locatæ, & Lapidis angularis.

VII. Aliam narravit parabolam, dicens: Paterfamilias quidam vineam a ſe plantatam, munitamque ſepe, torculari, ac turri, agricolis locavit. Agricolæ vero famulos ab hero fructibus exigendis miſſos male excipientes, alios cæciderunt, quoſdam lapidaverunt, nonnullos etiam occiderunt; nec his contenti, ipſum heri filium, qui poſt famulos & ipſe tandem in eam rem venerat, apprehenſum & extra poſſeſſionem raptatum, ſpe potiundæ hereditatis, miſere necarunt. Quid, rogo, parricidis iſtis fiet, cum vineæ dominus præſens

(*a*) Matth. XXI. 28.

ſens aderit? Reſponderunt, fore ut vinitores illi trucidarentur omnes, atque aliis vinea locaretur. Reſponſum probavit Chriſtus, indicavitque, ipſos in ſe dixiſſe ſententiam. Quod facile intelligere poterant. Vineam enim plantavit Deus, cum Legem Judæis tradidit, ac Synagogam conſtituit; ſepe circumdedit, præceptis nimirum ſacrorum rituum, & ſuo ipſius patrocinio; torcular, quo vinum exprimitur, & turrim, in vinitorum cuſtodiam & domicilium, in ea condidit, Templum ſcilicet atque Altare. Vineæ cultura Sacerdotibus atque Legiſperitis potiſſimum credita eſt; qui nedum antiquos Prophetas, Juſtoſque colligendis fructibus a Deo miſſos, peſſime exceperunt, ſed & ipſum Chriſtum, Dei Filium, poſtremo omnium loco venientem, ad mortem tunc urgebant, ac revera poſtea in Crucem egerunt. Judæi igitur tam clare indicati, dixerunt: *Abſit* id facinus eamque ſævitiam imitemur. Sed Jeſus: Quid ergo, ait, ſcriptum eſt: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* (*a*). Hæc parabola priori obſcurior eſt; utraque tamen ſpectat eodem. Ita vero poteris alteri alteram innectere. Si agricolarum facinus tantopere execramini, cur & non illud quod innuit Scriptura, atque idem plane eſt (*b*)? Accidit interdum ut Architectus lapidem rejiciat, quem deinde eli-

(*a*) Matth. xxi. 33. Marc. xii. 1. Luc. xx. 9.

(*b*) Pſal. cxvii. 21. Iſa. xxviii. 16. Act. iv. 11.

eligere cogitur, atque in ædificii parte maxime conſpicua collocare. Hoc typo Scriptura me indicat, a vobis ſpretum, & ſævitiam, qua in me debacchaturi eſtis. Deus autem conſilia veſtra fruſtrabitur; eo enim diſponente, & ipſe fiam Lapis angularis, quo duplex ædificii pars, Synagoga ſcilicet, & Eccleſia in unam fidem coaleſcant; & veritatis cognitio ac Religio a vobis ablata aliis ea bene uſuris concedetur. Perſiſtens autem in eadem lapidis figura: Qui ſuper lapidem cadunt, ait, contunduntur; at ii, ſuper quos lapis ruit, confringuntur, & conteruntur. Duplici ratione, ſi Rabbinos audias, rei lapidibus necabantur (*a*); interdum enim lapides in illos de more projiciebantur; interdum vero in præruptum ſaxum, ſaltem duorum hominum altitudine eminens, ducti, ex illo præcipites ab uno ex teſtibus acti, ab altero magni lapidis jactu opprimebantur; ſi adhuc ſuperſtes fuiſſet, novo lapidum jactu a ceteris conficiebantur. Poſteriorem hanc lapidandi rationem facile Chriſtus hic ſpectat, cujus ſimilitudinis hoc eſt propoſitum. Incredulis, quibus Chriſti humilitas contemptum parit, gravis imminet ruina; ubi vero Dei Filius vindictam in incredulos exercebit, multo graviſſima erit illorum calamitas. Dum autem Chriſtus ait: *Auferetur a vobis Regnum*: non inviti crederemus, ipſum ad Jacobi vaticinium alluſiſſe: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt* (*b*).

VIII.

(*a*) Seld. de Syned. l. 1. c. 5. & l. 2. c. 13.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 2. c. 12. n. 4.

VIII. Propoſuit etiam parabolam Regis qui ad paratas filii ſui nuptias plures invitavit. Hi omnes renuerunt; ſed alii varias cauſationes prætenderunt; alii vero apprehenſos ſervos, qui invitabant, injuriis affecerunt, quin & occiderunt nonnullos. Rex per ſuos milites homicidas trucidavit, eorumque civitatem ſuccendit; miſſiſque aliis ſervis obvios quoſcumque invitavit, iiſque aulam convivii implevit. Cum accumberent, ingreſſus Rex, hominem non indutum veſte nuptiali vidit; quare juſſit apprehendi, atque manibus pedibuſque religatis, in viam inter tenebricoſos noctis horrores projectum relinqui (*a*). Porro parabola hoc ſibi vult, quod & aliis pluribus ſignificatum, Judæos ſcilicet reprobari ob illorum perfidiam, Ethnicos vero eorum loco admitti; illud tamen præ aliis innuit, non ſatis ſcilicet eſſe, ſi ingreſſus fueris in Eccleſiam, & intra convivii aulam admiſſus; ſed requiri ut ſuſceptam fidem cuſtodias, atque in bene inceptis perſeveres. Quare multi vocantur, pauci eliguntur, ſive introducuntur ad nuptias, quas Deus Filio ſuo paravit, dum Eccleſiam conſtituit; atque ex iis ipſis qui electi videntur, nonnulli ejiciuntur.

Parabola Regis ad nuptias filii ſui invitantis. Conviva ſine veſte nuptiali.

IX. Secedentes a Jeſu Phariſæi, ut caperent illum inſidioſis quæſtionibus, conſilium inierunt; quare per ſubmiſſos diſcipulos ſuos, una cum Herodianis, ipſum principio laudarunt, ceu virum, qui nullo habito perſonarum reſpectu, puram putamque veritatem doceret,

An liceat tributum Cæſari dari?

(*a*) Matth. xxii. 1.

ceret; poſt quas aſſentationes interrogarunt, num vectigal Cæſari pendere fas eſſet? Subacta Pompeji armis Judæa, illam Romani, quemadmodum & ceteras Imperii Provincias, obnoxiam tributo fecere (*a*). Celeberrima autem erat inter Judæos controverſia, aliis ob immodicum ſuæ libertatis ſtudium, tributum minime eſſe ſolvendum defendentibus, aliis contra ſentientibus. Quamobrem, utramvis in partem ferretur Chriſtus, alterutros offendebat. Quin ſi tributum ſolvendum eſſe negaſſet, illum apud Pilatum accuſaſſent; ſi aſſeruiſſet, tanquam publicæ libertatis hoſtis traductus fuiſſet; negaſſentque Phariſæi illum eſſe Meſſiam, cui potiſſima deeſſet Meſſiæ nota, reſtituendi ſcilicet in priſtinam libertatem Iſraelitas. At Jeſus callidas eorum artes probe intelligens, oſtendi ſibi juſſit numiſma, quo tributum ſolvi conſueverat; roganſque, cujus illud imaginem & inſcriptionem præferret, auditoque, Cæſaris eſſe utramque: *Reddite ergo*, ait, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; quæ ſunt Dei, Deo* (*b*).

Sadducæi repulſi. Mortuorum reſurrectio.

X. Poſt Phariſæos venerunt Sadducæi, qui primum hoc habebant inter dogmata, ſpirituales res nullas eſſe, præter Divinitatem. Quamobrem neque Angelos eſſe credebant, neque Dæmones, Spiritus, Animæ immortalitatem, adeoque Mortuorum Reſurrectionem, quam ceteri vulgo Judæi præſtolabantur. Hi igitur tentandi hominis gratia interrogarunt, num ſemi-

(*a*) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 14. & de Bello l. 1. c. 5.

(*b*) Matth. XXII. 14. Marc. XII. 12. Luc. XX. 22.

femina, quæ ſeptem fratribus, alteri poſt alterum nupſit, in Reſurrectione ad aliquem ex illis, & ad quem pertineret? Decedente enim ſine liberis fratre, frater ſuperſtes relictam ex illo viduam, ducere per Legem obſtringebatur (*a*). Porro Judæi ſperabant futurum, ut regnante Meſſia omnes in vitam revocarentur, omnique voluptatis genere fruerentur: credebant præſertim, conjuges ita ſimul vitam illam de novo ſumptam acturos, ut nulla diſcordia aut perturbatione turbarentur (*b*). Validiſſimum autem erat adverſus illos Sadducæorum argumentum, reſurrectione hoc ſenſu uſurpata, cum ipſis illorum principiis uterentur. Quæ enim pax & tranquillitas ſperari poterat, ubi una femina a ſeptem viris peteretur? Errabant utrique, Sadducæi ſcilicet, negantes Reſurrectionem, & Judæi poſt Reſurrectionem carnis voluptates ſperantes. Hinc Chriſtus reſpondit, nullum ſupereſſe poſt hanc vitam conjugium, ſed omnes velut Angelos Dei futuros; quod quidem Judæos tangebat. Ad Sadducæos vero quod ſpectabat: Non legiſtis, ait, Deum e rubo ad Moyſem dixiſſe: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob* (*c*). *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium* (*d*). Argumentum tenet. Moyſes in ſuo Pentateucho, a vobis admiſſo, ſupremum Numen, Mundique Conditorem, Abrahami, Iſaaci, & Jacobi Deum, diu poſt illorum obitum,

(*a*) Deuter. XXV. 5.

(*b*) Calm. Diſſert. de Meſſiæ charact.

(*c*) Exod. III. 15.

(*d*) Matth. XXII. 23. Marc. XII. 18. Luc. XX. 27.

tum, nuncupat: Deus autem mortuorum eſſe nequit: vivos igitur in altero Mundo homines eſſe opus eſt: Anima igitur non moritur: ergo eſt immortalis. Si autem revera Animæ mortuorum exiſtunt, par eſt ut corpora in vitam redeant, iiſque jungantur animæ, quo homo totus, anima ſcilicet & corpore, præmia, aut ſupplicia pro actibus, quos hic anima pariter & corpore exercuit, in altera vita aſſequatur. Hæc omnia pronum erat, ut ex verbis Chriſti inferrent Sadducæi. Huic argumento unum reſponderi poterat, nimirum ubi Deum Scriptura nuncupat Abrahami, Iſaaci, & Jacobi Deum, hoc dumtaxat velle, Deum eſſe, quem illi Patriarchæ coluere. Verum ſi hæc ſubſiſterent, Deus dixiſſet, *Ego fui*, non *Ego ſum* Deus Abrahami. Deinde, ſi prorſus non ſunt ii Patriarchæ, nihil jam illis debet Deus, neque ullum cum iis fœdus in poſterum explendum ferire potuit. Sin autem aliquod cum iis fœdus iniit, ac promiſſa intra vitæ ipſorum curriculum minime explèvit; ut eſſet illud ad Abrahamum dictum: *Ego ero merces tua magna nimis*: alteram igitur eſſe vitam neceſſe eſt, ubi promiſſorum fidem expleturus ſit Deus. Ad hæc, Deum alicujus eſſe, non illud modo eſt, ab illo in præſentia coli, aut olim cultum fuiſse, ſed illum potius tueri, protegere, defendere. Deus autem eſse nequit defenſor eorum, qui non ſunt. Tandem dicere poſsumus cum Maldonato, tametſi aliqua eſse queat reſponſio adverſus Chriſti argumentum, ſatis eſse, ſi Sadducæos ad

ſilen-

ſilentium adegerit. Noverat Chriſtus, quibuſcum ſibi res eſset. Majori illi gloriæ fuit, facili illos ratione refellere, quam invicto argumento retundere.

Primum Legis præceptum.

XI. Sadducæis vir Legis conſultiſſimus ſucceſſit; quæſivitque, quodnam maximum diceret in Lege præceptum? Jeſus, præceptum Amoris Dei primas tenere, reſpondit; ſecundum vero ab eo locum deberi præcepto Amoris Proximi; addens, quidquid docent ſacra volumina, quicquid jubent, ac vetant, ad duplex hoc præceptum referri, & ex eo pendere. Reſponſum hoc unus ex illis comprobavit; cui Chriſtus: *Non longe es a Regno Dei* (*a*). Facile Chriſti reſponſio iis improbata fuit, qui Sabbati religionem, aut Circumciſionem, vel Sacrificia ceteris præferebant.

Cujus filius Chriſtus?

XII. Nemo exinde Jeſum quæſtionibus tentare audebat; ſed ille propoſuit, quod Judæorum maxime intereſſe debebat, interrogavitque adverſarios ſuos, cujuſnam filius futurus eſſet Meſſias, ſive Chriſtus? Illi nihil cunctantes, e David proditurum reſponderunt: Unde ergo, excepit ille, David in ſpiritu Dominum ſuum illum vocat, dum ait: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis?* Si Filius David, quomodo ejuſdem Regis Dominus (*b*)? Ad hæc illi prorſus hæſerunt. Judæi e Davidis genere oriturum Meſſiam credebant; at plerumque nihil ſublimius ſpectabant. Ut illos igitur ad agnoſcendam Meſſiæ Divi-

(*a*) Matth. XXII. 34. Marc. XII. 28.

(*b*) Matth. XXII. 41. Marc. XII. 35.

Divinitatem manuducat, oſtendit, aliquid Davide majus futurum eſſe Meſſiam. Quid vero ampliſſimo, ſanctiſſimo, opulentiſſimo, divinique Spiritus pleniſſimo Rege auguſtius eſſe poterat, præter Deum? Hoc illis colligendum relinquit. Judæi recentiores, & Sociniani teſtimonium, quod ad Meſſiam, ſcilicet ad ſe ipſum Jeſus retulit, ad Melchiſedechum, aut Abrahamum, Davidem, Salomonem, vel Ezechiam flectere moliuntur, quaſi Deus verbi gratia Ezechiæ dixerit: Pacificam in ædibus tuis moram trahe, ad Templi mei dexteram, meque præſtolare, Aſſyrios, a quibus obſideris, ad ſolium tuum devictos perducam. At ſola Pſalmi lectio illorum levitatem prodit. Rex enim exhibetur ante Luciferum genitus, æternus, ex ordine Melchiſedechi Sacerdos. Oſtendant jam adverſarii, hæc laudatis viris convenire. Veritatis vis adeo mentes hominum pervicit, ut non rari ex ipſiſmet recentioribus Judæis noſtræ, veterumque gentis illius Doctorum ſententiæ ſubſcripſerint (*a*).

Scribæ & Phariſæi in cathedra ſedent.

XIII. Interim ad Apoſtolos & turbas verſo ſermone dixit, Scribas quidem & Phariſæos Moyſis Cathedram occupare: auſcultarent proinde docentium verba; ſed ab exemplis abſtinerent, cum grandia illi onera ceterorum humeris imponerent, quæ ipſi vel minimo digitulo levare recuſarent; atque id unice ſpectarent, ut prima cum in conviviis, tum in Synagogis aſſequerentur ſubſellia, ambitioſo Magiſtrorum, Patrum, & Præſidum titulo, qui

(*a*) Calm. in Pſ. CIX.

qui non niſi Deum, & Chriſtum decet, intumeſcerent; & ſingulares, dilatatis phylacteriis, magnificatiſque fimbriis, in populo viderentur (*a*). Præceperat Moyſes Hebræis (*b*), ut Dei Legem aſſidue gererent e fronte ante oculos pendentem, ac veluti armillas circa brachia manuſque. Verba hæc tropice intelligenda erant, ut ſcilicet divinæ legis numquam obliviſcantur Hebræi, eaque ceu norma in actibus ſuis utantur. At Phariſæi hæc ad verbum uſurpantes, membranas quaſdam circa frontem geſtabant, ad utramque aurem pertingentes, & circum brachia manuſque, quibuſdam e Lege ſententiis inſcriptas, eiſque vim quamdam arcendi morbos, pellendique Dæmones tribuebant: quo autem religioſiores reputari volebant, eo latiores ceteris membranas hujuſmodi deferebant. Utuntur illis Judæi noſtri ævi, dum preces matutinas perſolvunt, nec niſi magis pii in precibus meridianis, ſpontanea tamen religione. Hæc quidem de phylacteriis. Ad fimbrias autem quod ſpectat, diſtinguendo a ceteris gentibus populo ſuo Deus per Moyſem mandaverat, ut ad quatuor pallii latera anſulæ quædam ceruleæ adjungerentur, quemadmodum & fimbriæ per oram regnantes (*c*). Erat id legitimum; fimbriiſque uſum fuiſſe & Chriſtum, ex Hemorroiſſæ hiſtoria diſcimus (*d*); ſed Phariſæi ceteris ampliores adhibebant.

(*a*) Matth. XXIII. 1. Marc. XII. 38. Luc. XX. 45.

(*b*) Exod. XIII. 16. Deut. VI. 8. XI. 18.

(*c*) Num. XV. 38. Deuter. XXII. 12. Vide hanc Hiſt. l. 3. c. 9. n. 10.

(*d*) Luc. XVI. 44.

Scribarũ. & Phariſæorum hypocriſis.

XIV. Vitio etiam Scribis & Phariſæis vertit, quod præ foribus Regni Cælorum ſtantes nec ipſi ingrederentur, nec liberum ceteris ingreſsum relinquerent: quod ſimplices credulaſque viduas falſa pietatis ſpecie fallerent, ut illarum liberalitate ditarentur; quod terras & maria aggregandis Synagogæ Proſelytis decurrerent, quos deinde pravis Legis interpretationibus ſe ſe nequiores, majorique dignos pœna redderent; quod duces eſsent cæci, pravique doctores, quippe qui docerent, ſacramento obligari illum, qui per Templi aurum, & munus quod in Altari offertur, fidem ſuam obſtrinxiſset; minime vero qui per ipſum Templum, aut Altare; quaſi ſcilicet non major eſset Altaris & Templi, quam auri, munerumve, ſive victimarum religio. Fortaſse Sacerdotum & doctorum avaritiæ intererat, ut auri, & munerum Deo oblatorum religio inviolabilis haberetur. Exprobravit pariter, decimas menthæ, aliarumque herbarum religioſe illos offerre, quod tamen Deus non præceperat, decimis ex tritico, oleo, vino, & pecore contentus (*a*); Legis vero neceſsaria, Juſtitiam, miſericordiam, fidem negligere; excolare culicem, camelum glutire; extrinſecus nitere, intriſecus ſordeſcere; imitari ſepulcra, quæ albo inficiebantur, ut e longinquo perſpicua fierent, ne quis imprudens ex illorum contactu, contra Legis præceptum, pollueretur; cum tamen ſepulcra non idcirco puriora eſsent, oſſibus mortuorum taboque ple-

(*a*) Levit. XXVII. 30. Deut. XII. 17. & XIV. 23.

plena; fruſtra gloriari pro excitatis Prophetarum monumentis, damnataque Patrum ſuorum, qui in illos debacchati fuerant, ſævitia, cum dignos hiſce parentibus filios & cruentorum hominum imitatores illos proderent pertinacia, invidia, feritaſque, qua redundabant, quave futurum erat, ut in Prophetas, & doctores a ſe miſsos, Apoſtolos ſcilicet & Diſcipulos ſuos, graſsarentur. Sed, inquit, cum illorum ſanguinem fuderitis, ſceleribuſque culmen impoſueritis, tunc denique pœnæ ex vobis exigentur cædium tot Juſtorum, ab Abele uſque ad Zachariam filium Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare (*a*).

XV. Chriſtus ſuam cohortationem proſequens: Mala, ait, quæ prædico obventura, non multum ſane abſunt; plures enim ex iis, qui modo vivunt, oculis ſuis illa videbunt. Hieruſalem, Hieruſalem, quæ Sanctorum cruore mades, quid prætermiſi, ut te ad pœnitentiam revocarem, ceu gallina, quæ omnia tentat, ut pullos ſuos ſub alas congreget? Futurum vobis denunrio, ut hæc veſtra urbs, qua ſuperbitis, diripiatur, atque excidatur. Vos autem exinde non videbitis me, donec dicatis: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*b*).

Hieroſolymæ pervicacia.

XVI. Sedens Jeſus in Templo e regione Gazophylacii, viros plures locupletes ingentem pecuniæ vim in ejuſdem Templi uſum eo inferentes animadvertit; quos inter & viduam

Eleemoſyna viduæ laudatur.

H 2

(*a*) Matth. XXIII.23. Vide hanc Hiſtor. l, 13. Vide hancHiſt.l.13.c.3.n.7 c. 3, n. 13.

(*b*) Matth. XXIII. 39.

Digitized by Google

duam pauperculam obſervavit, nonniſi duo minuta offerentem; quam tamen pro ſua paupertate plus omnibus obtuliſſe Diſcipulos admonuit (*a*).

Hieroſolymorum Urbs, Templumque evertenda prædicuntur: Quid abominatio deſolationis? Alter Chriſti Adventus. Extrema Judicii dies deſignatur. Chriſtus ad necem quæritur

CAP. VIII.

ANNO MUNDI 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29. *Vaticiniū de Templi excidio.*

I. SUb veſperas feriæ tertiæ, dum e Templo egrederetur Jeſus, miram ædificii ſtructuram, ſelectoſque in eam rem lapides, Diſcipulis indicantibus, intuitus, futurum dixit tempus, quo ea moles funditus adeo everteretur, ut ne lapis quidem lapidi ſuperſtructus maneret. Herodes Magnus vetus Templum demoliri aggreſſus, novumque ædificare, innumerabilem materiam undique congeſſit, & decem operariorum millia annis octo auguſto hoc opere occupavit. Lapidibus candidiſſimis ac duriſſimis conſtabat Templum, cubitos quinque & viginti longis, altis octo, duodecim latis (*b*). Templum ita evertere Romani, ut aratrum ſuper ruinas induxerint, ut paſſim narrarunt in ſuis libris Judæi. Nonnulla tamen poſt illius excidium adhuc ſupererant, quæ Julianus Apoſtata penitus deſtruxit, explendoque Chriſti vaticinio vel invitus ope-

(*a*) Marc. XII. 41. Luc. XXI. 1.

(*b*) Joſeph. Antiq. l. 15. c. 14.

operam navavit. Cum enim poteſtatem feciſſet Judæis Templi reſtituendi, hi reliqua ex vetere Templo fundamenta effoderunt, ut iis in novi uſum uterentur. At rem pro voto cedere vetuit Deus; erumpentibus enim ignibus e fundamentis, artifices opus relinquere & diffugere compulſi ſunt (*a*).

II. Egreſſus e Templo Jeſus, quo deinceps numquam rediit, niſi forte paſſionis tempore, in vallem Cedronis venit, tum in montem Olivarum aſcendit. Eum ibi ſedentem e regione Templi Petrus, Jacobus, Joannes, & Andreas Apoſtoli ſecreto interrogarunt, quandonam oraculum ipſius de Templi everſione implendum deſtinaretur, quodve *adventus ſui*, *& conſummationis ſæculi ſignum* daret? Quidquid dicebat Chriſtus, ad communem inter Judæos opinionem de temporali Meſſiæ Regno referebant Apoſtoli. Putabant autem, ut non ſemel dictum eſt, Hebræos ætate Meſſiæ in vitam redituros, Mundum hunc deſtiturum, & alterum proditurum, ibique Juſtos æterna felicitate fruituros. Huc ſpectabant juxta Apoſtolorum ideam Sæculi conſummatio, & Templi deſtructio. Adventus autem Chriſti ex ipſis nil aliud facile erat, quam ipſius toties prædicta a mortuis Reſurrectio; qua peracta, Regnum ejus Hieroſolymis inciperet, in totum deinde Terrarum Orbem diffundendum. Chriſtus vero Apoſtolis reſpondens alia omnia complectitur, Templi & Judæorum exci-

Alterius Adventus Chriſti præſagia.

(*a*) Ammian. Marcel. Sozomen. Ambroſ. Chry- l. 23. Socrat. l. 3. c. 2. ſoſt. Nazian.

excidium ita perſequens, ut Mundi exitum, ſupremamque Judiciis diem ſimul deſcribat. Cavete, inquit igitur Chriſtus, nequis vos umquam ſeducat; plures enim ſe ſe pro Meſſia obtrudent. Undique obſtrepent ſeditionum bellorumque rumores, populique ac Regna mutuis armis inter ſe committentur. Prælia fames, famem peſtilentia, peſtilentiam terræmotus excipiet. Porro mala hæc minoris ſunt momenti, nec futuræ calamitatis terminus, ſed initium & crepundia. Antequam autem extremum malum adveniat, injectis in vos manibus ad tribunalia raptabimini, & ad ſupplicia, necemque, mei cauſa. Miſerrimis hiſce temporibus multi, parum in fide conſtantes, metuque victi, a Religione deſciſcent; rarique erunt, qui amore Dei ferventes ſe ſe diſcrimini objiciant, ut vobis faveant, voſque defendant. Jubeo tamen, ne animis deſpondeatis, tantam enim ſapientiam eloquentiamque vobis ſuppeditabo, ut vel imparati adverſarios confundere poſſitis. Non ex proprio ſenſu reſponſa tunc dabitis, ſed ex cæleſtis Patris Spiritu, quo pleni eritis. Perſecutorum numerum augebunt neceſſarii quique veſtri, & amicorum cariſſimi; totiuſque denique Mundi odium vos exercebit. Verum qui in mei nominis confeſſione, ac profeſſione fidei conſtans ad mortem uſque erit, æternam felicitatem conſequetur. Inter cetera autem ſigna quibus *conſummatio* adventare dignoſcetur, illud erit, quod ſcilicet Evangelium longe lateque per Orbem annuntiabitur (a). Conſum-

(a) Matth. XXIV. 1. Marc. XIII. 1. Luc. XXI. 5.

ſummationis nomine hic multi quidem Mundi exitum intelligunt; ſed alii (*a*) Judæorum per Romanos excidium. Profectò quadraginta annorum ſpatio, qui a Chriſti morte uſque ad Hieroſolymæ deſtructionem fluxere, univerſis gentibus, quæ Romanis parebant, ceteriſque terrarum partibus, quæ eo tempore noſcebantur, Fides annuntiata eſt (*b*). Utrumque tamen verificari poteſt.

Quid Abominatio deſolationis?

III. Aliud conſummationis ſive excidii ſignum indicavit Chriſtus: *Abominationem* ſcilicet *deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto* (*c*). Omittimus illorum interpretationem, qui Antichriſtum hic prædictum volunt. Neque nobis dubium eſt, quin ante ſupremum Judicium videndus ſit, ex Pauli vaticinio, *Homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tamquam ſit Deus* (*d*). Verum ſervato SS. Irenæi, Ambroſii, Hilarii, aliorumque, prædictæ interpretationis patronorum obſequio, altera quæri poteſt, ante Hieroſolymæ expugnationem expleta; quæ quidem expugnatio ſupremum Judicium, ut ſæpius dictum eſt, portendebat. Quid igitur ante Hieroſolymæ expugnationem potuit eſſe Abominatio deſolationis? Nonnulli putant, Imperatorum ſimulacra. Sed quamvis

H 4

(*a*) Chryſoſt. Hilar. Mald. Grot. Cleric. Calm. alii.

(*b*) Rom. I. 8. & X. 18.

(*c*) Matth. XXIV. 15. Marc. XIII. 14. Luc. XXI. 20

(*d*) 2. Theſſal. II. 4.

vis Pilatus illud, quod Tiberii erat, in Templo dedicare tentaſſet, rem non perfecit (*a*). Idem dicas de ſtatua Caligulæ, quam eo inferre juſſus fuerat Petronius (*b*). Equeſtris Adriani ſtatua Hieroſolymis quidem erecta fuit, ſed diu poſt urbis expugnationem. Explicant alii de Aquila aurea, ab Herode Magno ſuper unam e Templi portis conſtitutam; ſed cum hoc contigit, Chriſtus nondum natus erat. Duæ ſuperſunt ſententiæ, ceteris probabiliores. Altera docet, ſigna Romanorum a Chriſto innui, quæ Romani ceu Numina venerabantur, & exercitus religioſo ritu colebat (*c*). Huic opinioni favet S. Lucas, qui pro iis quæ refert S. Matthæus: *Cum videritis abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto:* habet: *Cum videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem*. Altera ſententia tenet, abominationem deſolationis nil aliud eſſe, quam Templi violationem per Zelatores (*d*). Hi, peſſimum latronum genus, Templum occupaverunt, antequam urbs obſideretur, ipſumque quibuslibet flagitiis profanavere. Hanc opinionem multa confirmant: I. Abominatio illa futura erat in Templo, *in loco ſancto*. Nulla autem ſigna Romanorum fuerunt in Templo, niſi expugnata urbe. II. Quo tempore Zelatores in Templo debacchari cœperunt, adhuc

locus

(*a*) Joſeph. de Bello l. 2. c. 2. & Antiq. l. 18. c. 7.

(*b*) Joſeph. Antiq. l. 2. c. 9.

(*c*) Origen. Chryſoſt. Mald. Grot. Hammond. Le Crec, alii plures.

(*d*) Toſt. Janſ. Capell. Brug. Baron. Calmet.

locus fugæ erat; quod quidem Chriſti verbis reſpondet, monentis, ut viſa abominatione deſolationis Diſcipuli ad montes fugiant. III. Vetus erat apud Judæos traditio, inquit Joſephus (*a*), tum denique expugnatum iri Hieroſolymam, Templumque flammis arſurum, ubi ſeditio inter ipſos gliſceret, ac Templum ab iis ipſis violaretur, a quibus maxime illius ſanctitas ſervanda erat. Hujus rumoris origo ex Chriſti verbis non male deduceretur. Utraque tamen ſententia conciliari poteſt, ſi reputes, Chriſtum utrumque ſignum futuri excidii dediſſe, violationem ſcilicet Templi per Zelatores, & urbis obſidionem per Romanos. Obſeſſa urbe, dicunt contra priorem ſententiam, Judæos fuga ſibi conſulere non potuiſſe. Quibus reſpondendum eſt, Romanos produxiſſe Hieroſolymæ obſidionem a Paſchatis Feſto uſque ad menſem Auguſtum, ſex menſium ſpatio; Judæos autem non potuiſſe quidem obſidione abſoluta, perpetuoque vallo munita, elabi; bene tamen ſub initium, cum ſcilicet & Urbis obſidio inciperet, & Templi violatio perſeveraret.

IV. Proſequens Jeſus ſermonem ſuum, monitiſque Diſcipulis, ut viſa abominatione deſolationis reputent, tunc imminere Urbi Temploque excidium: Si quis, ait, in Judæa tunc temporis erit, ad montes ſtatim confugiat; qui ſuper tecta, fuga ſe proripiat, ne permiſſo quidem ſibi ingrediendi domum ut carum aliquid ſecum deferat, tempore; qui in agris, ne-

Fuga conſulitur. Falſi Chriſti & Prophetæ.

(*a*) Joſeph. de Bello l. 5. c. 2.

neglecta urbe, cum iis, quibus amicitur, veſtibus fugiat. Doluit mulierum prægnantium & nutrientium vicem; quippe quæ fugere non poterunt tam cito, quam diſcrimini vitando opus erit. Monuit, ut orarent, ne hyeme, aut Sabbato fugere contingeret; breves enim per hyemem dies ſunt, impeditæ viæ, itinera incommoda. Sacra autem Sabbati die nefas erat Judæis, longius duobus paſſuum, vel cubitorum millibus iter habere. Prædixit, mala modum omnem ſuperatura, nihilque tale a Mundi exordio viſum fuiſſe; Deum tamen exterminium illud diu regnare minime paſſurum eſſe, ne de Fidelibus quoque ſuis actum ſit; quos nihilominus ſeductores plures, Chriſti & Prophetæ nomen oggerentes, prodigiorum fulgore perſtringent, exercebuntque, quin tamen illos pervertant. Ut vero diſtinguere valerent inter ſe, & nebulones iſtos, monuit, eos in ſecretis deſertiſque locis apparituros, ſe autem venturum inſtar fulguris, *quod exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem*. Geminas autem horum verborum interpretationes invenias. Alii enim de Evangelii prædicatione explicant (*a*): Ne facile præbueritis fidem iis, qui ſe miſſos a Deo gloriabuntur, ac Meſſiæ nomen aſſument. Illi enim clam, definitiſque terrarum tractibus dogmata ſua venditabunt. Meum e contra Evangelium unico ferme temporis momento in Mundo univerſo prædicabitur. Hoc ego certiſſimum veræ Fidei indicium ex-

(*a*) Origen. Auguſtin. Grot. alii.

exhibeo. Alii (*a*) vero de altero Chriſti adventu, ſupremoque Judicio uſurpant. Homines id minime cogitantes, Dei Filius e Cælo deſcendens occupabit, ceu fulgur ſtatim micans & evaneſcens; quod tamen, cum in Cælo appareat, omnibus conſpicuum eſt (*b*).

Signa in Sole, Luna & Stellis. Chriſti ad Judicium adventus.

V. Infeliciſſimum illud tempus ſigna conſequentur, quæ omnium gentium luctus & conſternatio excipient, Sol ſcilicet tenebris opertus, Luna deficiens, Stellæ e Cælo ruentes, ſignum Filii Hominis medio Cælo effulgens, atque ipſe tandem Filius Hominis, nube vectus, & Angelorum ſatellitio ſtipatus; quorum tuba & ingenti voce e quatuor Mundis plagis Electi in unum locum cogentur (*c*). Qui hæc vaticinia ad tempus ſtatim poſt Judæorum ruinam conſequutum referunt (*d*), aliud hic non vident, quam locutiones quaſdam hyperbolicas, quibus inſueta mala ſignificantur, pluraque in eam rem exempla, tum ex ſacris, tum ex prophanis auctoribus adducunt. Quid ergo ſibi vult Chriſtus, ſi illos audias? Poſt captam everſamque Hieroſolymam, infinita malorum ſerie Judæi undique involventur, adeo ut aſtra Cæli lucem illis negare videantur; illataque in eos vindicta Chriſtus ita ſe conſpicuum reddet, ut vel ab invitis agnoſcendus ſit; quo etiam tempore Evangelii lux lon-

(*a*) Hilar. Hieronym. Chyſoſt. Euthym. Mald. Brug. alii.

(*b*) Vide ſupra c. 5. n. 7.

(*c*) Matth. XXIV. 28. Marc. XIII. 24. Luc. XXI. 25

(*d*) Ligfoot. Hamm. Clericus.

longe lateque fulgebit, cum Apoſtoli verique Apoſtolici prædicationibus univerſos, quibus largitus eſt Deus, ut veritatis lumen aſpiciant, edocebunt; edoctos autem homines ſuæ inſaniæ atque erroris, quibus Chriſto repugnarunt, pœnitebit. Huc revocant prodigia & oſtenta, quæ excidio Hieroſolymæ præivere a Joſepho deſcripta (*a*), ſidus ſcilicet gladio ſimile urbi imminens, cometes circa Templum reſplendens, currus per aera diſcurrentes, & armatæ acies nubila tranantes. Aliquid etiam exquiſitius putant ſe inveniſſe in ſigno Crucis, quod e Cælo exhibitum eſt Conſtantino Magno (*b*), quove prophanæ ſuperſtitionis ruina, & Chriſtianæ Religionis confirmatio portendebatur. Nos tamen inhæremus communi Patrum & Interpretum ſententiæ, ea omnia ad ſupremum Judicii diem referentium. Eſto, tropice illa intelligas: *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen, Stellæ cadent*: quæ tamen & ipſa proprie acciperentur, ſi cum nonnullis Patribus (*c*) reputaremus, tam ingens futurum jubar Chriſti ad Judicium prodeuntis, ut Solis, Lunæ, Stellarumque omnium lumen ſit oppreſſurum. At nihil erit tam planum, obvium, hiſtoricum, proprium, ac naturale in Scriptura, quod tropice interpretari non poſſis, ſi tropice hæc etiam accipias: *Tunc parebit ſignum Filii Hominis in Cælo: & videbunt*

(*a*) Joſeph. de Bello dit. Valeſ. l. 7. c. 12.

(*b*) Euſeb. de vita Conſtantini l. 1. c. 28. E-

(*c*) Hieron. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

bunt Filium Hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute magna & majeſtate: & mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis. Quid quod Eccleſia, ſignum Filii Hominis de Chriſti Cruce intelligendum eſſe, inſinuat, cum in Officio canat: *Hoc ſignum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad judicandum venerit?* Paulus quoque iiſdem ferme verbis Chriſtum deſcribit ad ſupremum Judicium deſcendentem, meminitque tubæ, mortuos e tumulis excitantis. *Canet enim tuba, & mortui reſurgent* (*a*). *Ipſe Dominus in juſſu & voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent* (*b*). De tuba, qua mortui excitabuntur, nolo contentioſum cum aliquo funem ducere: ſit tuba vere clangens, quemadmodum exauditum olim fuit in monte Sinai, cum Lex rogaretur; ſit vox vel imperium, aut voluntas Angeli, nomine Dei mortuos ad vitam revocantis; ſit denique ingens tonitru; non repugno. Illud etiam permitto, Chriſtum grandi illorum verborum apparatu voluiſſe aliquo modo ſubindicare teterrimam illam rerum conditionem, quæ Judæos, Patriæ excidio ſuperſtites, manebat, quæque eorum, ſaltem nonnullorum, qui præſentes aderant, ætate erat implenda; ait enim Chriſtus: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant:* rurſumque: *Cum videritis hæc omnia.* At primus potiorque ſenſus non niſi Mundi exitum ſpectat.

VI.

(*a*) 1. Cor. xv. 52. (*b*) 1. Theſſal. iv. 15.

Judicii dies omnes, præter Patrẽ, latet.

VI. Vaticiniis ſuis inſiſtens Chriſtus, monuit Diſcipulos, ut cum ſigna a ſe prædicta viderent, ſuam ipſorum redemptionem, ſive Dei Regnum longe abeſſe non crederent, quemadmodum ubi ficus folia & gemmas emittit, æſtatem in foribus eſſe, omnes intelligunt. Porro Redemptio, ſive Regnum Cælorum duo hic ſignificare poſſunt, nimirum Eccleſiæ inſtitutionem, quæ ſuper Synagogæ ruinam extollenda erat, & æterna in Cælis beatitudo, ſive Chriſti Sanctorumque gloria, quæ in die Judicii omnibus manifeſtabitur. Adjecit autem illud, quod tantopere Patres, & Interpretes exercuit, diem ſcilicet illam, & horam, qua Filius Hominis venturus eſt, omnes præter Patrem, excluſis etiam Angelis, ipſoque Chriſto, ignorare (*a*). S. Ambroſius putavit, Evangelium, ubi Dei Filio illam ignorantiam attribuit, eſſe vitiatum (*b*). Alii aſſerunt, Chriſtum, qua parte homo erat, ex ſolis ſcilicet humanitatis viribus, præciſa conjunctione cum Divinitate, ex qua omnes ſapientiæ theſauros mutuabatur, Judicii tempus ignoraſſe (*c*). Nonnullis illud dicere viſus eſt Chriſtus, nullam ſcilicet ſibi ineſſe ejus rei experientiam, ſeu ſcientiam quæ ex experientia ortum habet; cum id exploratum haberet ea notitia, quæ in ſola ſpeculatione verſatur (*d*). Ajunt multi, Chriſtum dicere, ea ignorare

quæ

(*a*) Matth. XXIV. 36. Marc. XXII. 32.

(*b*) Ambroſ. l. 5. de Fide c. 8.

(*c*) Athanaſ. Nazianz. Theodoret. Cyrill.

(*d*) Orig. Chryſoſt. Bern.

quæ minime vulganda cenſebat; nobis quippe ignorabat, non ſibi (*a*). Ita curioſitatem coercens Apoſtolorum, quandonam ipſius Regnum & Mundi exitus eſſent futura, poſtulantium, reſpondet: Hæc arcana ſunt, quæ uni Deo cognoſcenda ſervantur; quamobrem nullo ex Angelo, aut homine, vel ex me ipſo ea quærite. Quæ quidem ſententia ceteris præſtare videtur.

VII. Ita plane, ait deinde Chriſtus, Filius Hominis venturus eſt, quemadmodum olim ſub Noe Diluvium. Inter comeſſationes, lætaque connubia diem fallebant mortales, cum ſubito aquarum effuſis imbribus inundata terra, omnes demerſi ſunt. Duobus operam agriculturæ navantibus, ſtatim ingruet hoſtis: fugiet alter, alter capietur. Ex duabus pariter ancillis, molam juncta opera torquentibus, ut triticum terant; altera elabente, altera in hoſtium poteſtatem deveniet. Si prudentes eſtis, vigilem ſervum imitamini, qui adventum domini ſui, incertus qua hora, numquam non operitur. Pater etiam familias ſi adventantis furis tempus noſſet, domui ſuæ cuſtodiendæ profecto advigilaret. Servus, qui ab hero diſtribuendæ in reliquos conſervos annonæ & laboris præpoſitus, munus ſuum integra implevit fide, univerſæ domus Oeconomus conſtituitur. Qui vero conceſſa ſibi poteſtate abuſus, reliquos conſervos injuriis & verberibus afficit, crapuliſque tempus tranſigit, domino ex inſperato

Chriſti Adventus Diluvio ſimilis.

(*a*) Auguſt. Gregor. in Luc. l. 8. Hieron. Beda, & Ambroſ.

rato ſuperveniente, infidelitatis atque impudentiæ ſuæ pœnas dabit; ſpoliatus enim munere, quo fungebatur, trudetur in carcerem inter infideles ſervos, ubi gemitus regnat, & ſtridor dentium (*a*).

Parabola decem Virginum.

VIII. In eamdem rem parabolam propoſuit decem Virginum, ex quibus quinque erant ſapientes, ſtultæ totidem: illæ lampadibus ſuis oleo inſtructis ſponſum ad nuptias deducendum operiebantur; iſtæ vero acceptis lampadibus, oleum ſimul non comparaverunt. Apud veteres, quos modo Indi imitantur, lampadum ſeu tædarum erat genus, quæ oleo alebantur, quod unuſquiſque in vaſe penes ſe ſe deferebat, atque ubi opus eſſet, ſubinde infundebat. Conſtabant autem ferro fuſti inſerto, cujus cuſpidi obvolvebatur linteum vetus, oleo idemtidem perfuſum. Ventis & imbribus reſiſtebant, nullo effundendi oleum diſcrimini ſubjectæ, jubarque longe clariſſimum, quam noſtrates lucernæ, ſufficientes. Hujus generis facile erant & militum Gedeonis lampades (*b*). In moribus autem erat apud Hebræos, ut ſponſus ſponſam adiret, eamque duceret domum, plerumque noctu, rituque ſolemni. Cum vero ex uno loco in alterum ſponſa tranſiret, puellæ abeunti honoris gratia, micantes præferebant faces. Hæc animadvertere opus erat, ut parabolæ ſenſus perſpectior redderetur, ad quam nunc redimus. Tardante igitur ſponſo, decem illæ

(*a*) Matth. XXIV. 38. Marc. XIII. 33. de Selden. Uxor Hebr. l. 2. c. 1.

(*b*) Judic. VII. 16. Vi-

illæ virgines ſomno correptæ ſunt omnes; at eo, dum nox medium iter teneret, accedente, ingens clamor exauditus eſt; quare ſapientes excuſſo ſomno, lampades ſuas novo infuſo oleo facile aptarunt; ſtultæ contra poſtulato a comitibus oleo, nec obtento, quod metuerent illæ, ne utriſque deficeret, ad emendum illud procurrerunt. Venit inter hæc ſponſus; & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, ceteris, quæ aberant, excluſis, quibus, cum rediiſſent, preces geminatæ ejultatuſque nihil profuerunt. Sponſus eſt Chriſtus, Sponſa Eccleſia; quæ cum ex bonis maliſque coaleſcat, electis & reprobis, virginibus prudentibus & fatuis exhibetur: nox, qua ſponſus domum venit, ſuprema eſt judicii dies, excidio Hieroſolymitano ſignificata. Parabolæ intentum eſt, ut Chriſti Diſcipuli bonis operibus numquam non ſint occupati (*a*).

Parabola talentorum.

IX. Idem alia etiam expreſſit parabola. Homo quidam, ait, iter aggrediens, pecuniam diviſit in famulos, ut illam negotiarentur. Dedit uni quinque talenta, alii duo, tertio denique unum. Cum poſt longum temporis ſpatium rediiſſet, & rationem exigeret, is qui quinque talenta acceperat, decem retulit; qui vero duo, quatuor. Quare laudatos utroſque ad inſtructum a ſe convivium admiſit. Venit tandem & tertius, qui datum ſibi talentum reſtituit, dicens, defoſſum in terra ſedulo a ſe cuſtoditum fuiſſe, ne a quoquam raperetur; norat enim rem ſibi eſſe cum domino

(*a*) Matth. xxv. 1.

no duro pariter & crudeli, cujus pecuniam diſcrimini exponere periculoſum eſſe arbitrabatur, quod metere ſoleret ubi non ſeminaſſet. Iratus ad hæc dominus: Me, ait, eſſe hominem ſævum avarumque noſti: cur ergo quæſtum ex pecunia non feciſti, fenori illam ſaltem tradens? Tolli deinde ab eo talentum, & dari alteri, qui decem rependerat, præcepit; ipſum vero e convivio ejectum, domoque excluſum, aeris injuriis, nocturnoque gelu expoſuit (*a*). Quibus nos docere voluit Chriſtus, nihil nobis negligendum eſſe, ut dona, quæ Dei beneficio accepimus, qualibet in conditione poſiti, ſive in noſtram ipſorum inſtitutionem, ſive in proximorum utilitatem, augeamus.

Examen in Judicio inſtituendum.

X. Extremum Judicium ita deſcripſit Chriſtus. Ubi Filius Hominis, Angelorum choris ſtipatus deſcenderit, atque throno gloriæ ſuæ inſederit, homines univerſos ante ſe conſtitutos bifariam dividet, bonos ſcilicet ad dexteram, malos autem ad ſiniſtram collocabit, ceu paſtor qui oves ab hœdis ſejungit. Porro eos, qui dexteram tenebunt, invitabit Judex ad Regnum, illis ante Mundi exordia deſtinatum, quod ſibi eſurienti cibum, ſitienti potum, peregrino hoſpitium, nudo veſtem, infirmo denique & carcere detento levamen ſolatiumque ſuffecerint. Mirantibus illis, quærentibuſque, quandonam hæc ab ſe ei præſtita fuerint, reſpondebit, impenſa ab eis uni ex fratribus ſuis minimis, fidelibus nempe ac pauperibus beneficia,

(*a*) Matth. xxv. 14.

ficia, ſe ſibi impenſa reputare. Verſus deinde ad eos, qui ad ſiniſtram ſtabunt, imperabit, ut ſtatim diſcedant, abeantque in ignem æternum, productum a Deo, ut Diabolum ejuſque ſectatores ſupplicio afficiat, quod opera miſericordiæ ſibi non impenderint, quando ſcilicet fratribus ſuis illa denegarunt. Nec mora, boni ac prædeſtinati ibunt *in vitam æternam*, mali vero & reprobi in *ſupplicium æternum* (*a*). Ex Judæorum Doctrina æternis cruciatibus torquentur in Inferno ſoli Infideles, & inſigniter ſceleſti; ceteri purgatorias pœnas ultra annum non ſubeunt (*b*). Scitum eſt inter omnes, Origenem tenuiſſe, damnatorum ſupplicia ſtato tandem tempore abſolvenda eſſe. Contraria omnia docet Chriſtus, qui, ad æternitatem quod ſpectat, nullum diſcrimen inter Infideles & alios Peccatores, ſive inter Beatos, & Damnatos conſtituit (*c*).

XI. Cum quarta adveniſſet feria, Chriſtus Diſcipulos monuit, futurum, ut Paſchate poſt biduum celebrando Filius hominis in hoſtium manus traditus, crucis ſupplicio tandem perimeretur. A feria quarta, ait Calmetus, ad quintam non duæ, ſed una tantum dies numeratur; quare, addit, neceſſe fuit ut Paſcha feria ſexta ſub veſperas inceperit; ac proinde Chriſtus paſchale convivium celebrare non potuit. Si hæc ſupputatio valeret, valeret etiam iſta: Chriſtus poſt tres a morte dies reſurgere debebat; a feria autem ſexta ad diem Domi- *Sacerdotes Chriſti mortem moliuntur.*

(*a*) Matth. xxv. 31.
(*b*) Calm. V. *Infernus*.
(*c*) Berti l. 10. c. 17.

nicam non tres, ſed duo tantum dies numerantur; ac proinde Chriſtus die Dominico reſurgere non potuit. Utraque difficultas eadem reſponſione de diebus inceptis ſolvenda eſt. Interea Principes Sacerdotum apud ſummum Pontificem Caipham deliberabant, qua ratione Chriſtum tenere potuiſſent; in quam rem minus opportunum diem feſtum, ne quid ſeditionis in populo excitaretur, cenſebant.

Judas Magiſtrū vendit.

XII. Dum hæc agitarentur conſilia, Judas Sacerdotes conveniens, pacta triginta argenteorum mercede, proditurum ſe ipſis Magiſtrum ſpopondit. Is iniquo erat in Jeſum animo ob reprehenſionem ab eo ſibi factam, dum Mariam unguentum in caput & pedes illius effundentem apud Simonem Leproſum carperet. Proditionem igitur aggreſſus Judas, opportunitatem præſtolabatur, qua ſolum, & a turbarum concurſu remotum Jeſum nactus, Judæorum manibus traderet (*a*). Conſtans Eccleſiæ traditio jejunium quarta feria indixit, ſervavitque eam abſtinentiam ad nonum uſque ſæculum, ob memoriam conſpirationis ab Judæis ea die in Chriſtum initæ (*b*).

L'I-

(*a*) Matth. XXVI. I. Marc. XIV. I. Luc. XXII. I.

(*b*) Thomaſſin. de Jejun.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

Noviſſima Chriſti cœna. Ultimum Paſcha revera celebravit. Euchariſtiæ inſtitutio. Chriſtus pedes Apoſtolorum lavat. Dum ad montem Olivarum ſe confert, Diſcipulos hortatur, & Patrem orat.

C A P. I.

I. NOctem, quæ feriam quartam clauſit, Jeſus in monte Olivarum de more tranſegit; ſolemne namque illi fuit, cum Hieroſolymam veniret, diem quidem in Templo prædicationi, noctem vero in illo monte orationi intentus agere (*a*). Feria quinta, primo ſcilicet *Azymorum dies*, *quando Paſcha immolabant Judæi*, mane ab Urbe abſtinuit, vel ſaltem nihil geſſit, quod ex Evangelio innoteſcat. Tempore paſchali civium Hieroſolymorum domus cuicumque ſolemnitatem illam celebraturo patebant, ſi propriam habitationem ibi non poſſideret. Hinc Chriſtus rogatus fuit a Diſcipulis, quodnam potiſſimum cœnaculum ſeligeret, in quo ipſi ei *pararent Paſcha*. Juſſit ille, Petrum & Joannem ad urbem ire, & quem primum offenderent hominem, lagenam aquæ portantem, ſequi, deducendos ab illo in aulam, cui nihil eorum, quæ ad Paſcha deſiderarentur, deeſſet. Præceptis Domini illi obſequuti *paraverunt Paſcha*. *Veſpere autem*

ANNO MUNDI 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29.

Chriſtus in ſuprema cœna Paſcha manducat.

(*a*) Luc. XXI. 37.

tem facto Jeſus urbem ingreſſus, ad cœnaculum contendit. Inter veſcendum dixit: Vehementiſſime *deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar* (*a*). Porro quæ hucuſque ex Matthæo, Marco, & Luca attulimus, deſignando, Chriſtum in ultima cœna Paſcha manducaſſe, demonſtrationis loco haberentur, niſi quædam Joannes ſcripſiſſet, quæ adverſarii pro adſtruenda oppoſita ſententia ita urgent.

Objectiones ex Joanne deductæ. II. Ex Joanne Chriſtus ultimam cœnam celebravit *ante diem feſtum Paſchæ* (*b*). Paſcha ergo nondum inierat, cum Chriſtus cœnaret. Deinde primo mane ſequentis diei, feria ſcilicet ſexta, dum Jeſus ad Pilatum raperetur, extra Prætorium ſe ſe continebant Judæi, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha* (*c*). Ut quid hæc, ſi Paſcha veſpere præcedentis diei celebratum erat? Mortuo Chriſto, & Latronibus, qui cum eo crucifixi fuerant, eorum corpora depoſita ſunt ante Solis occaſum, *ne remanerent in cruce Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati* (*d*). Cur, rogo, magnus erat dies ille Sabbati, niſi ob paſchalem ſolemnitatem, quæ feria ſexta incepta in illum diem eo anno deſierit? Semel, iterum, & tertio idem Evangeliſta, Chriſtum neci traditum narrat, cum *Paraſceve*, pervigilium ſcilicet, ſeu præparatio *Paſchæ* decurreret (*e*). Tandem illud Sacerdotes declinandæ popu-

(*a*) Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7.
(*b*) Joan. XIII. 1.
(*c*) Idem XVIII. 28.
(*d*) Idem XIX. 31.
(*e*) Idem XIX. 14. 31. 42.

populorum ſeditioni ſtatuerant, ut Chriſtum *die feſto* nec caperent, nec occiderent (*a*). Qui ergo fieri potuit, ut ipſo omnium ſolemniſſimo Paſchatis die utrumque peregerint? nonne ſecum ipſi pugnaſſent? Hinc celebratum a Chriſto legale Paſcha negarunt Vechiettus, Toynardus, Lamy, Calmetus, aliique, defendentes, noviſſimam illam cœnam vulgare fuiſſe convivium, nihilque a ceteris diverſum. Si hos audias, *prima Azymorum dies*, Paſchalis victimæ immolatione ſacra, eſt ipſiſſima dies decima tertia menſis Niſan; qua Petrus & Joannes idcirco paraſſe Paſcha dicuntur, quod ea præſtiterint, quæ convivio paſchali die 15. celebrando requirerentur, cœnaculum ſcilicet a fermento purgarunt, menſas ſtruxerunt, lectulos ſternerunt, Agnum coemerunt, poſtridie mactandum, manducandumque. Illud tandem quod dicitur, Chriſtum ſcilicet ſummopere deſideraſſe ſe illud *Paſcha* manducare, nihil illos, quibuſcum res agitur, movet; ajunt enim id explicandum eſſe de vehementi deſiderio, quo tenebatur Chriſtus, inſtituendi novæ Legis Paſcha, diviniſſimam ſcilicet Euchariſtiam; ſive prodigendæ in hominum redemptionem vitæ; aut denique celebrandi ſupremi hujus Paſchatis, ſi id in Patris voluntate foret, atque adverſariorum molitionibus impeditus non fuiſſet. Hæc adverſarii, quorum ſententiam alii vocant hæreticam, alii ſaltem temerariam (*b*). Profecto Vecchiettus ea de

(*a*) Matth. XXVI. 5. Joan. XII. 2.

(*b*) Berti de Theolog. Diſcipl. l. 33. c. 1.

cauſa conjectus fuit in carcerem, ubi ſquallore ſordibuſque confectus deceſſit (*a*). Sed propoſitæ adverſariorum difficultates diſſolvendæ ſunt ex iis, quæ habent viri doctiſſimi Maudit, Tillemontius, Beſſini, Berti, Manſi, aliique.

Objectiones ſolvuntur. III. Chriſtus igitur *ante diem feſtum Paſchæ cœnaſſe* perhibetur, quod Joannes loquatur de die naturali, & uſuali, qui de media nocte ad mediam noctem producitur; non autem de die legali, qui a veſpera ad veſperam protrahitur. Niſi dicere mavis, quod τὸ *ante diem feſtum* poſitum ſit pro eo, quod quamvis feſtum præcederet, erat tamen pars ipſius feſti; quemadmodum prologus eſt pars orationis, & prodomus eſt pars domus. Adde tertium reſponſum: Licet tam dies decima quarta, quam decima quinta Judæis diceretur *prima Azymorum dies*, & *dies feſtus Paſchæ* (*b*), quod feſti apud illam gentem dies a veſperis unius diei ad veſperas alterius producerentur, utrumque quodammodo complexi; magis tamen propie loquendo dies decima quinta appellabatur prima Azymorum dies, & dies feſtus Paſchæ; ea quippe dies ſeptimanæ paſchalis ducebat exordium (*c*); illique adſcriptus erat Judæorum egreſſus ex Ægypto, in cujus memoriam Paſcha celebrabatur (*d*). Quare dies 14. non niſi per quamdam participationem, quod ſcilicet illius veſperæ ſolemnitatem Azymorum &

(*a*) Pinacoth. p. 196. Num. XXVIII. 16.
(*b*) Seſſ. 22. c. 1. (*d*) Exod. XII. 29.
(*c*) Levit. XXIII. 5.

& Paſchatis aperirent, prima Azymorum dies, & feſtum Paſchatis appellari poterant. Monſtri autem loco habendum eſt, eodem pariter primæ diei nomine diem quoque decimam tertiam cenſeri, quod ſcilicet in veſperis ejuſdem diei decimæ tertiæ, dies decima quarta iniret; ut quam dies decima quarta e ſuccedente die decima quinta trahebat appellationem, eamdem in diem decimam tertiam reflecteret; treſque ſibi ſuccedentes dies 13. 14. 15. eodem communi nomine prima dies Azymorum ac Paſchatis feſtum nuncuparentur. Quis, rogo, hanc interpretationem arduam eſſe, & vix ipſis, a quibus adſtruitur, probatam, non intelliget? Promant illi ſimile loquendi exemplum, quo dies ante pervigilium Feſti tanquam dies ipſa feſta habeatur, appelleturque. Fundamento autem hoc ſemel convulſo, actum eſt de illorum ſyſtemate univerſo. Calmetus pluribus adductis oſtendere conatur, particulam *primum* interdum ſignificare *antequam*. Quare eo explicante, *prima Azymorum dies*, eſt dies ante Azymos. Verum ſi quis diligenter ea, quæ ipſe adducit, inſpiciat, ſtatim ipſius interpretationem inter maxime violentas computabit (*a*). Ceterum vix, ac ne vix quidem perſuaderemur, Jeſum parando cœnaculo pro celebratione Paſchæ tam ſedulo miſſis duobus Diſcipulis incubuiſſe, ſi neque ſibi deguſtandum Paſcha norat, neque Apoſtolis huc illuc morte ſua diſpergendis integrum futurum prævidebat, ut quieti, & in unum convivii locum

(*a*) Calm. in Matth. XXVI. 17.

cum convenirent. Hactenus de prima adverſariorum objectione. Quod autem inferre pedem in Prætorium feria ſexta religioni ducerent Judæi, inde cauſa repetenda eſt, quod victimas, non ex agnis, ſed ex ovibus, & bobus, in Templo ſolemni Paſchatis die, totaque paſchali hebdomada immolandas, ob idque *Paſcha* & ipſas appellatas (*a*) deguſtare cuperent. Caverunt iidem, ne remanerent in cruce corpora Sabbato, quod dies illa Sabbati, in hebdomadam paſchalem cadens, duplicis feſti conjunctione ſolemnitatem augeret, eaque de cauſa *magnus ille dies Sabbati* nuncupabatur. Quæ de *Paraſceve Paſchatis* notantur, ea intelligenda ſunt de Paraſceve Sabbati, intra paſchalem hebdomadam incidente, ut manifeſtum eſt ex S. Marco: *Erat Paraſceve, quod eſt ante Sabbatum* (*b*). Tum quia Paſcha nullum habebat Paraſcevem, ſive ciborum præparationem, cum ipſa prima Azymorum die, qua Paſcha exordiebatur fas eſſet ea, quæ ad veſcendum pertinerent, parare (*c*); quod cum vetitum eſſet die Sabbati, idcirco feria ſexta illi Paraſceve præibat. Nolebant tandem Judæi Chriſtum die feſto capere & occidere; ſed oblata Chriſti perdendi per Judæ perfidiam opportunitate, mutato conſilio illam minime negligere decreverunt. Ceterum ſolemne fuiſſe Judæis inſigniores reos plectere die feſto, quo ob populi concurſum res in omnium noti-

(*a*) Deuter. XVI. 2. & 2. Par. XXXV. 9.

(*b*) Marc. XV. 42.

(*c*) Exod. XII. 16.

titiam pervenire poſſet, tradit Maimonides (*a*). Nihil autem moror aſtronomicas ſupputationes, quibus adverſarii oſtendere conantur, diem 14. Lunæ de qua agimus, anno Chriſti emortuali, in feriam ſextam incidiſſe. Quis enim ſibi ſumat probandum, aut ſupputationes illas erroneas non eſſe, aut exactam temporum rationem Judæos illius ætatis ſectatos fuiſſe (*b*)?

Noſtræ ſententiæ favet Eccleſia & Traditio.

IV. Quando autem daremus, utramque ſententiam, probabilibus æque opinionibus fulciri, incertamque adhuc pendere, illam tamen, quæ Chriſtum ſupremum celebraſſe Paſcha tuetur, ſequi deberemus. Eo enim nos ducit Eccleſia, quæ in Officio Corporis Chiſti canit: *Poſt Agnum typicum, expletis epulis*, corpus ſuum in Euchariſtia dediſſe; idque confirmat Tridentinum Concilium, docens, Chriſtum *celebrato veteri Paſcha, novum inſtituiſſe* (*c*). Univerſam etiam veterum, qua Latinorum, qua Græcorum, traditionem pro celebrato a Domino noviſſimo illo Paſchate certare, ipſis fatentibus contrariæ ſententiæ aſſertoribus, compertum eſt. Porro traditionem illam ex ipſis cœpiſſe apoſtolicis temporibus inde intelligimus, quod Chriſtiani illi, qui volebant Paſchalem ſolemnitatem die 14. Lunæ cum Judæis celebrari oportere, exemplo ſe Chriſti, qui Paſcha eadem die celebraſſet, tuebantur. Ceteri autem Chriſtiani fere omnes id Quartadecimanis ultro dantes, alio prorſus argumento

(*a*) Hlkot c. 4. l. 11. c. 5. n. 9.
(*b*) Vide hanc Hiſtor. (*c*) Seſſ. 22. c. 1.

to illos revincebant, quod ſcilicet nefas eſſet Judæorum ritus imitari, ac ſequi. Ad hæc, novum illud ſyſtema Græcis plurimum favet: ritum enim ſuum de conficienda in pane fermentato, & non in azymo, Euchariſtia, ex eo maxime probant quod putent, Chriſtum ſub verperas diei decimæ tertiæ illam inſtituiſſe; quo quidem tempore Judæis veſci pane fermentato licitum erat.

Nonnulli putant, Chriſtum prævertiſſe Paſcha.

V. Si cui dubium adhuc ſuperſit, hæreatque anceps, ſententiæ illorum adhærere poſſet, qui Joannem cum Matthæo, Marco, & Luca conciliaturi, Chriſtum quidem feria quinta, Judæos vero feria ſexta, Paſcha celebraſſe putant. Quod pluribus de cauſis contingere potuiſſe fertur; ſive quod duobus ſuccedentibus diebus idem feſtum, quemadmodum a recentioribus Judæis, ita & a priſcis illis perageretur; metu enim ne quid circa novæ Lunæ phaſim, ſive apparentiam errent, deſintque propterea Religioni, celebrando Paſchati duos dies impendunt, quorum prior *dies latentis Lunæ*, altera *dies apparentis*, appellantur. Sive quod Chriſtus Paſcha feria quinta celebrare voluerit, cum feria ſexta mortem ſibi imminere intelligeret: ſive quod Judæi in Sabbatum transferre ſolerent Paſcha, ſi quando in feriam ſextam incideret, ne pauperum incommodo duo ſuccedentes dies feſti haberentur; ſive quod iidem in alium diem procraſtinaverint Paſcha, ne ſolemnitas illa a Chriſti cæde eos remoraretur; id quod S. Joanni Chryſoſtomo viſum fuit (*a*); ſive tandem quod nonnulli Judæorum,

(*a*) Chryſoſt. hom. 81. in Matth.

rum, advenæ nimirum, Paſcha præverterint, quibuſcum Chriſtus conſenſerit; cum interim alii, indigenæ ſcilicet, melius inſtructi ad feriam ſextam ſolemnitatem illam diſtulerint; quod S. Epiphanio probatur (*a*). Tertiam hanc ſententiam, quæ duas priores conciliat, tuentur Paulus Burgenſis, Paulus Midelburgenſis, Lucidus, Grotius, Onuphrius, Cornelius Janſenius, Maldonatus, Scaliger, Harduinus, Calviſius, aliique; quibus tamen confutandis multa, nec equidem ſpernenda, congerit eruditiſſimus Berti (*b*). Ceterum etſi daremus, Chriſtum prævertiſſe legitimum Paſchæ tempus, adhuc tamen diceremus, azymis ipſum uſum fuiſſe, ſicuti lactucas agreſtes, & alia omnia a Lege præſcripta, adhibuiſſe creditur.

Jeſus Judæ oſtendit, ſe ipſius proditionem noſſe.

VI. Ut autem ad cœnam Chriſti redeamus, diſcumbentibus omnibus palam ſignificavit, ex ipſorum numero quemdam proditionem in ſe moliri. Obſtupuere Apoſtoli, ſingulique pro ſe ſolliciti rogabant, num de ſe diceret? Reſpondit Jeſus, illum, qui intingebat ſecum manum in paropſide, tantum ſcelus executurum; oportere quidem ire ſe, quo Scripturarum oracula vocabant; ſed grande ſupplicium proditionis auctori imminere, ut optandum illi eſſet, numquam in Mundum prodiiſſe. Judas ad hæc, num de ſe loqueretur, quemadmodum & ceteri, quæſivit. Cui Jeſus annuens, ſub-

(*a*) Epiphan. Panar. hæreſi 52.

(*b*) Berti de Theol. Diſcipl. l. 33. c. 1.

ſubmiſſa fortaſſe voce, cum alii Apoſtoli non intellexerint, reſpondit: *Tu dixiſti*.

Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. VII. Cœna ad finem vergente Chriſtus Apoſtolos monuit, ſupremum illud eſſe convivium, quod ipſe cum illis ageret. Accipiens deinde calicem vino plenum, dixit, ex eo poculo ſe non amplius deguſtaturum, niſi prius Regnum ſuum veniret, in quo una cum Diſcipulis iterum biberet; actiſque gratiis bibere juſſit de illo omnes ſingillatim. Calix iſte non erat euchariſticus, ſed conſuetus, quem convivii princeps, bene precatus, ipſe prius deguſtans, ceteris deinde propinabat. Porro Regni nomine Reſurrectionem ſuam facile intelligebat, cum ſciamus, ea peracta ipſum cum Apoſtolis manducaſſe & bibiſſe (*a*). Sacramentum deinde Euchariſtiæ inſtituturus, acceptum panem benedixit, actiſque iterum Deo gratiis fregit, diſtribuitque Apoſtolis, dicens: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*; ſive ut habet Paulus, *tradetur*. Accepit ſimiliter & calicem, eumque benedictione dedicatum, Deo de more gratiis actis, tradidit illis deguſtandum, inquiens: *Hic eſt Calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Verba hæc ex Luca retulimus, Nonnihil variant ea quæ apud Matthæum & Marcum leguntur; ſed in idem recidunt (*b*). Porro eadem illa virtute qua Filius una cum Patre & Spiritu ſancto olim Mundum ex nihilo eduxit, mutavitque in Cana Galilææ aquam in vi-

(*a*) Luc. XXIV. 43. Joan. XI. 10. Act. X. 41. Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. & 1. Cor. XI. 15.
(*b*) Luc. XXII. 17.

vinum, nunc panis & vini ſubſtantiam in ſuum ipſius corpus, & ſanguinem convertit. Aliter mentitus fuiſſet dicens: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus*. Nihilque hic adjunctum invenitur, quod literalem evertat ſenſum; quinimo verba illa addita: *Quod pro vobis tradetur*; *Qui pro vobis fundetur*: veram catholicamque ſententiam confirmant. Cum enim non mera Sanguinis Chriſti figura in Cruce fuſa fuerit, neque Corporis ſpecies mactata, ſed verum Corpus veruſque Sanguis, rectiſſime colligitur, in Euchariſtia utrumque vere adeſſe, & diſtribui. Nullum autem in veteri Lege ſolemne fœdus inibatur, quin victimæ & ſanguinis effuſio intercederet (*a*); ſolebantque corpus & veſtes eorum, quibuſcum fœdus firmabatur, aſpergi cruore. Quin & apud Romanos, Scythas, Medos, & Carmanos viguit, vigetque etiamnum apud Americanos ritus propinandi humanum cruorem, vel ſaltem illum effundendi, quo in pactis initis majorem conſtantiam homines profiterentur (*b*). Novum igitur Teſtamentum, ideſt Evangelii pactum fœduſque, Chriſtus ſuo ipſius corpore & ſanguine, quibus ille voluit Apoſtolos veſci & potari, confirmavit. Monuit deinde Diſcipulos, myſterium illud toties inſtaurari, eoque mortem ſuam repræſentari, quoties Diſcipuli hoc idem, quod ipſe fecit, ipſi pariter præſtarent; præſtarent autem juſſit,

(*a*) Hebr. IX. 18. Gen. IX. 9. & XVII. I. Exod. XIX. XX. Deut. XIX.

(*b*) Saluſt. Conjur. Catil. Solin. c. 25. Herod. l. 4. Horn. l. 3. c. 18.

ſit, uſque dum ipſe iterum rediret, Mundum ſcilicet in fine ſæculorum judicaturus. Profecto Corporis Chriſti Sacramentum fractum, in fruſta diviſum, dentibus contritum, ob oculos ponit cruciatus, quos Chriſtus in paſſione ſua pertulit. Sanguis pariter calice exceptus, atque a Corpore, quantum fert ſpecierum panis & vini diviſio, ſejunctus, cruentam illius necem ſignificat.

Chriſtus pedes Diſcipulorũ lavat.

VIII. Cum poſt cœnam Diſcipuli inter ſe diſceptarent, quis ceterorum princeps, & nobiliſſimus futurus eſſet in Chriſti Regno, quod ſtatim proditurum ſperabant, Jeſus, ut immoderatum eorum dominandi deſiderium, nedum verbis, ſed & exemplo comprimeret, ſurgens a menſa, poſitiſque veſtibus, aſſumpſit linteum, injectaque in pelvim aqua, lavandos ſuſcepit ſingulorum pedes, & linteo, quo præcingebatur, abſtergere. Ad Petrum cum veniſſet, rei novitate ille perculſus: Tu, inquit, mihi lavas pedes? Cui Jeſus: Sine: mox ediſſeram, cur id faciam. Eo autem recuſante, & numquam ſe id commiſſurum reſpondente, ut lavari ſibi pedes a Magiſtro ſineret, excepit Jeſus: Si te non lavero, nulla tibi meæ gloriæ & Regni pars futura eſt. Quamobrem Petrus non tantum pedes, ſed & caput & manus ſe exhibiturum, ſi maluiſſet, profeſſus eſt. Ad quæ alter: Qui balneo uſus eſt, opus non habet, ut iterum eo abluatur; ſatis eſt pedes lavet, ut pulverem ambulando collectum abſtergat. Vos autem mundi eſtis, ſed non omnes. Quibus ita leviſſimas animi

mi Apoſtolorum maculas ſignificavit, ut immane Judæ ſcelus non præterierit. Ea autem lotione peracta, Jeſus ſumptis iterum veſtibus, cum rurſus accubuiſſet, cauſam aperuit, cur ad pedes uſque ipſorum lavandos ſe ſe dimiſiſſet; ut ſcilicet inſigne humilitatis exemplum haberent, quo alter alteri ſubjicerentur, mutuiſque officiis fratrem occuparent. Certiores tamen illos fecit, quod in præmium amoris, conſtantiæ, ac fidei, quibus illum proſecuti fuerant, regnaturi eſſent una cum illo, pari menſa fruituri, atque in duodecim Tribus Iſraelis judicium exercitaturi. Ne autem illum in eligendis Diſcipulis deceptum eſſe crederent: Cum vos ego eligerem, ait, plene vos novi, quæque futura eſſent, prævidi; neceſſe tamen erat, ut impius aliquis e Diſcipulorum meorum numero eſſet, quo veritas conſtaret illius vaticinii: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum;* ſcilicet, calce me feriet (*a*).

IX. Viſus eſt tunc animo commoveri, ac perturbari, iterumque teſtatus eſt, unum ex illis proditionem ſuam vere moliri. His auditis rurſus ſtupuerunt omnes; Petrus autem innuit Joanni, qui inter diſcumbentes ordine poſt Jeſum ſuccedens, caput in Salvatoris ſinum reclinaverat, ut proditorem ab illo exquireret. Joannes igitur ſtatim Magiſtrum interrogavit, qui indicio fruſtuli panis, quod in paropſide intinctum Judæ porrexit, interroganti proditorem, clam tamen ceteris, indicavit. *Jeſus Judam traditorem deſignat.*

(*a*) Pſal. XL. 10. Luc. XXII. 24. Joan. XIII. 1.

Poſt eam buccellam, quam alii (*a*) panem euchariſticum fuiſſe cenſent, alii vero (*b*) & quidem melius, panem communem, jure merſum avaritiæ & odii Dæmon multo validius, quam antea, Judæ animum occupavit. Cui dixit Jeſus: *Quod facis, fac citius*. His diſcipuli perfidiam arguit Chriſtus, dum permittit; ſed ceteri Apoſtoli verborum illorum ſenſum minime aſſecuti, rebantur, Chriſtum juſſiſſe, ut Judas ea compararet, quæ ad diem feſtum eſſent neceſſaria, vel aliquid eleemoſynarum egenis tribueret; quippe qui totius cœtus pecunias curaret. Ille igitur a malo ſpiritu agitatus, plus quam pro conſueto, facile quod ſcelus ſuum compertum eſſe intellexerit, e menſa ſurgens, receſſit (*c*). De Judæ communione tres feruntur ſententiæ. Prima docet, ipſum e convivio abiiſſe, antequam Chriſtus Corporis & Sanguinis ſui ſacramentum inſtitueret (*d*). Altera vult, Corpus tantummodo deguſtaſſe. Tertia cenſet, utrumque; quæ quidem opinio ceteris vulgo præfertur, eaque cum Evangeliſtarum narratione, quam hic contractam damus, conſtare videtur. Præmittimus tamen ritus, quos Judæi, ſive ex Lege, ſive ex conſuetudine, in cœna paſchali ſervabant.

Judæorum ritus in cœna paſchali.

X. Remoto pane fermentato omnique fermen-

(*a*) Grot. Capell. Binæus. Vide Origen. hic.

(*b*) Aug. Petr. Lombard.

(*c*) Joan. XIII. 21.

(*d*) Conſt. Apoſtol. l. 5. c. 13. Jan. III. l. 4 c. 11. de Myſt. Altar. Hilar. in Matth. c. 30. Rupert. in Joan. l. 12.

mento, immolabatur horis pomeridianis diei decimæ quartæ Niſan agnus paſchalis; cujus deinde carnes igne aſſæ in lance parabantur una cum azymis, & lactucis agreſtibus (*a*). Parabant præterea patinas cum cibis aliis elixis, & paropſidem, aliud vas eſcarium, cum *Charoſeth*, quod erat embamma muſteum ex pomis, dactylis, aſtaphidibuſque contuſis, atque ſaccharo, aliiſque condimentis compoſitum. Hæc omnia ad cœnaculum ſuo tempore deferenda erant, ubi menſæ diſpoſitæ, & circum menſas lectuli ſtrati. Nemo autem Paſcha deguſtabat, priuſquam tenebræ obducerentur. Ad convivium paſchale conveniebat cum ſua familia domus rector, ſive ſenior, aſſumens vicinos, ſi edendo agno domeſtici minime ſufficerent; nam convivæ denis pauciores eſſe non poterant, nec plures vicenis (*b*). Qui panes azymos menſæ apponebant, ceu præludium & invitamentum ad cœnam, dicebant: *Hic eſt panis afflictionis;* quem ſcilicet patres eorum comederunt, cum ex Ægypto fugerent. Tum paterfamilias gratias Deo agens panem benedicebat, fractumque ceteris dividebat. Duo ſaltem aderant calices ſolemnes; quorum unum bonis precibus dedicatum, actiſque pariter Deo gratiis, convivii princeps cum prius ipſe guſtaſſet, aliis per gyrum propinabat. Comeſo agno cum azymis & lactucis, peractaque legali cœna, inferebantur patinæ elixarum carnium cum embammate, & paterfamilias ite-

K 2 rum

(*a*) Exod. XII. Deut. XVI.

(*b*) Joſeph. de Bello l. 6. c. 9.

rum gratias agens frangebat azymum, & cunčti epulabantur ſplendide, vinumque guſtabant. In fine alter calix, eodem ritu quo prior, dedicatus, aqua tamen dilutus, convivis omnibus ſubinde tradebatur. Cœna tandem uſuali abſoluta, ſurgebant, ablutiſque manibus, poſt aliquid temporis iterum recumbentes reliqua placentæ fruſtula in embammate intingebant quod ad finem uſque convivii, ſive ad *Aphikomen*, parvam nempe cœnulam, atque comeſſationem, ſervabatur. Hymnus tandem in Dei laudes perſonabat, ex Pſalmo 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus;* cui alii addebantur pro convivarum religione & pietate (*a*).

Ordo a Chriſto in cœna ſervatus.

XI. Porro hæc fere omnia in ſuprema Chriſti cœna ſervata fuere. Diſcipuli enim quidquid ad Paſchale convivium pertineret, paraverunt. Hora veſpertina Chriſtus una cum illis Paſcha manducavit. In cœnaculo circa menſam ſtratos fuiſſe lečtulos, non eſt ambigendum, cum Joannes ita diſcubuerit, ut caput in Chriſti gremio, atque ad illius pečtus demitteret (*b*). Scimus etiam, Chriſtum ex calice primum dedicato Diſcipulis diſtribuiſſe (*c*). Legali peraćta cœna, inceptaque uſuali, Dominus fregit, benedixitque azymum, addućtis jam patinis, & paropſide, in quam Judas manum intinxit (*d*), atque ita cœnantibus Diſcipulis Sacramentum Corporis ſui inſtituit (*e*). Poſt

(*a*) Vide Berti de Theolog. Diſcipl. l. 33. c. 3.
(*b*) Joan. XIII. 25.
(*c*) Luc. XXII. 17.
(*d*) Matth. XXVI. 23.
(*e*) Matth. XXVI. 26.

Poſt hanc cœnam, in altero calice, aqua permixto, Euchariſtiam ſub ſpecie vini conſecravit (*a*). Chriſtum autem Corpus ſuum, & Sanguinem ante omnes deguſtaſſe, certo tenemus, cum paterfamilias ceteris prior ipſe de pane & vino ſumere ſoleret; quem ſi Chriſtus non ſervaſſet, Diſcipuli turbati fuiſſent, idque Evangeliſtæ non ſiluiſſent. Surgens deinde a cœna pedes Diſcipulorum lavit; iterumque ad cœnulam recumbens, fruſtulum azymi embammate intinctum Judæ porrexit, quo ſumpto ille e cœnaculo exivit (*b*). Secundum hæc, Chriſtus præclaro ſermone Apoſtolos inſtruxit, dictoque hymno e loco receſſit (*c*). Grotio hymnus a Chriſto recitatus eſt illa ejuſdem oratio, quæ incipit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum* (*d*). A Priſcillianiſtis in eam rem confictus fuerat enigmaticus ille ac putidiſſimus hymnus, quem refert S. Auguſtinus (*e*).

Solvere volo, & ſolvi volo.
Salvàre volo, & ſalvari volo.
Generare volo, & generari volo.
Saltare volo, ſaltate cuncti.

XII. Cum igitur Judas abiiſſet, proditionem completurus, tempus gloriæ ſuæ jam inſtare Chriſtus denuntiavit, præmiique, quod gloriam Patris promovendo ſibi comparabat. Verſus deinde ad Petrum ſignificavit, inſidias ipſi *Petrus a Sathana tentandus.*

(*a*) Luc. XXII. 20.
(*b*) Joan. XIII. 30.
(*c*) Matth. XXVI. 30.
(*d*) Joan. XVII. I.
(*e*) Epiſ. 253. nunc 237. ad Cereſium.

ipſi ceteriſque Apoſtolis a Dæmone imminere; rogaſſe tamen ſe, ne ipſe a fide unquam deficeret; hortarique, ut cum reſipuiſſet, nutantes fratres confirmaret. Quibus lapſum Petri, non quidem in fide, ſed in conſtantia confeſſionis, ejuſque pœnitentiam, liquido ſignificavit. Monuit quoque Diſcipulos, non niſi modico adhuc temporis ſpatio ſe cum illis verſaturum; quærendumque deinceps ab eis, nec inveniendum; jubere ſe ut etiam atque etiam amoris officia invicem exhiberent, quo potiſſimum indicio cupiebat, ut tamquam ſui Diſcipuli dignoſcerentur. Petrus hæc diſſerentem audiens, quo ire vellet, illum interrogavit, ſeque præſto eſse vel ad carcerem, vel ad mortem euntem ſequi, proteſtatus eſt. Ita jactantem Chriſtus caſtigavit, prædicens futurum, ut eadem ipſa nocte ante gallicinium, ſe illum noſſe, ter negaret (*a*).

Gladius ab Apoſtolis emendus.

XIII. Interrogavit poſtea Diſcipulos, num ad Evangelium annuntiandum antehac a ſe miſſis, omnibus deſtitutis, aliquid defuiſset? Cumque nihil defuiſse, reſponderent: Cavendum nunc, inquit, ne itineri vos committamini, pecunia & viatico carentes. Quin nolo vos inermes ire: veſtem potius vendite, quam gladio careatis. Opus eſt enim, ut illud de me compleatur: *Et cum iniquis deputatus eſt* (*b*). Hæccine Chriſtus? Ubi nunc lenitas, manſuetudo, patientia, tantopere ab eo commendatæ? Ad quid gladius? Debebant ne Diſci-

(*a*) Luc. XXII. 24. (*b*) Luc. XXII. 35. Joan. XIII. 33.

ſcipuli vi auferre, quæ ſibi opus erant, aut armis uti adverſus hoſtium injurias? Allegorica eſt oratio, qua Chriſtus vividius denuntiat, Apoſtolos ad eam rerum omnium anguſtiam adigendos eſse, tot tantiſque exagitandos perſecutionibus, ut ſi res ex conſueto hominum more agenda eſset, armis uti oporteret. Minime tamen abrogat ea quæ antea de malis magna patientia tolerandis docuerat. Sed Apoſtoli ex mero verborum ſono ſermonem magiſtri interpretati, geminos gladios præſto ſibi eſſe Chriſto ſignificarunt; quibus ille reſpondit: *Satis eſt*; quaſi diceret: Non illud volo, ut arma revera comparetis: non hoc doceo. Aliter: De hoc actum eſt ſatis: hæc vos non aſſequi video: ad alia tranſeamus. Vel per ironiam: Certe duobus gladiis armatos adverſus hoſtium injurias tutos vos pronuntio. Boſſuetus cenſet, Chriſtum revera Apoſtolis conſuluiſſe, ut arma ſibi emerent, non quo illis adverſus hoſtes uterentur, ſed ut ex illorum delatione cenſerent inimici, Chriſtum cum hominibus ſceleratis, & ad omne facinus perpetrandum paratis converſari. Sed ceteri vaticinium illud, *Et cum iniquis deputatus eſt*, ad Chriſtum, inter latrones Cruci affixum, flectunt, S. Marco præeunte (*a*).

XIV. Ne vero Apoſtoli animis deſponderent, ob ſuum diſceſſum quem illis aperuerat, docuit, ſe quidem ire in domum Patris ſui; ſed plures ibi eſſe manſiones, quas illis pro ſingulorum meritis erat paraturus, ſtatoque tem- *Chriſtus Via, Veritas, & Vita,*

(*a*) Marc. xv. 28.

tempore diſtributurus; adjecitque, ſe ſatis multa dixiſſe, ut noſſe valerent, quo eundum eſſet. Verum Thomas, qui fortaſſe aliquam remotam regionem imaginabatur, neque ſe, neque ceteros Apoſtolos ſcire, dixit, locum hunc, aut viam, quæ eo deduceret. Cui Jeſus: *Ego ſum*, inquit, *Via*, *Veritas & Vita*: *nemo venit ad Patrem*, *niſi per me*. Hoc eſt: Vera ſum via, ad vitam, ad Patrem ſcilicet, quocum unum ſum, deducens. Tunc Philippus, cui Pater oculis corporeis obnoxius, non ſecus ac Filius, facile putabatur: Oſtende, ait, nobis Patrem, & noſtræ felicitati nil deerit. Cui Chriſtus: *Philippe*, *qui videt me*, *videt & Patrem*. *Non creditis*, *quia ego in Patre*, *& Pater in me eſt?* Quibus divinam naturam, Patri communem, ſe habere, non obſcure ſignificabat. Cui veritati firmandæ ad divinam ſuam doctrinam, admirandaque geſta provocans: *Verba*, ait, *quæ ego loquor*, *a me ipſo non loquor*. *Pater autem in me manens ipſe facit opera*. Promiſit deinde non tantum ſe Patrem rogaturum, ut alium Paraclytum ad Apoſtolos mittat, ſanctum ſcilicet Spiritum, qui loco ſui illos conſoletur, tueatur, eoque inſtruat lumine, quo dicta a ſe omnia plenius aſſequantur; verum & ſe ſe ſpectandum præbiturum, non omnibus tamen, ſed Diſcipulis dumtaxat, qui per fidem, amorem, & conſtans obſequium eo beneficio ſe dignos efficerent. Hæc audiens Judas, alio nomine Taddæus, minimeque intelligens, quid ſibi vellet Chriſtus, cum de ſe amicis tantum exhiben-

do,

do, excluſis Mundi ſectatoribus, loqueretur: Eccur, quæſivit, manifeſtaturus es nobis te ipſum, & non Mundo? Imperium ne tuum Terram univerſam non complectetur, neque te omnes gentes agnoſcent? Dicta confirmans Chriſtus, luculentius docuit, venturum ſe, Patremque ſuum ad illum tantummodo, qui ob ipſius amorem Evangelio obſequeretur, unaque ambos in eo moraturos. Pacem poſtea Apoſtolis imprecans, qualem Mundus augurari non valet, monuit ne ſui abſentia, ad meliora apud Patrem abeuntis, dolerent, quod veræ amicitiæ ſit, amici commoda propriæ utilitati præferre. Denuntiavit etiam, Diabolum in ſe quidem nihil habere, quippe qui nullius eſſet criminis reus; ſe tamen illius miniſtris volentem lubentemque permiſſurum paſſionis tempore, ut Patris voluntati morem gereret, oſtenderetque, quo in illum amore ferveret. Demum ſurgens ipſe a menſa: *Surgite*, ait Apoſtolis, *eamus hinc*: hymnoque de more in gratiarum actionem recitato, verſus Olivarum montem una cum illis egreſſus eſt (*a*).

XV. Inter eundum, Patrem ſuum agricolæ comparavit, ſe viti, Fideles palmitibus; ex quibus fructu carentes abſcinduntur, & in ignem mittuntur. Vos, ait, ego ſemper tam effuſe amavi, ut me Pater dilexit. Pergite igitur, & quam mihi hucuſque exhibuiſtis benevolentiam, conſtanter ſervate. Hoc ego indicio intelligam, me a vobis amari, ſi præceptis meis obtemperaveritis, quemadmodum ego

Varia Chriſti monita.

(*a*) Joan. xiv. 1. Matth. xxvi. 30. Marc. xiv. 26.

ego Patris mei mandata ſanctiſſime colui. Unum enixe poſtulo, ut mutuam pacem concordiamque tueamini, voſque ametis invicem, uti ego vos amavi. Ne quæratis, quo progredi debeat veſter in me amor: quid veſtri cauſa ſuſceperim, inſpicite: excellentiſſimus amandi modus eſt pro amicis vitam negligere. Quamquam autem vos e multitudine ſecreverim, ſæpiuſque inſtruxerim, meis tamen in doctrinis multa obſcura involvi, quæ voſmet facile fugerent. Deinceps aliter plane vobiſcum agam: arcana quælibet vobis detegam, ceu amicus qui amico omnia pandit. Veſtris nequaquam exigentibus meritis Eccleſiæ meæ Principes vos conſtitui, Evangelioque ubique terrarum annuntiando præfeci. Iniquiſſima odia, quibus vos Mundus exagitabit, vos ne terreant: me nimirum ille prius quam vos odit, atque odit idcirco, quod illius inſtituta moreſque damnaverim. Amaret vos Mundus, ſi illius partes foveretis. Non eſt ſervus major Domino ſuo; quare cum me audire, meaque præcepta Mundus ſervare noluerit, non eſt cur majus obſequium veſtris ſermonibus præſtolemini. Me profiteri & agnoſcere ſat cauſæ futurum eſt, ut vos inſectetur. Abſtineret injuriis, ſi Patrem meum noſſet. Si hominibus luculentiſſima miſſionis meæ argumenta non exhibuiſſem, eaque non feciſſem, quæ alius nemo, aliqua eſſet pervicaciæ illorum excuſatio. Impleri debet Scriptura: *Quia odio habuerunt me gratis* (*a*). Cum mihi non credant, ne-

(*a*) Pſal. xxxiv. 19. & lxviii. 5.

neque Patri credunt, a quo miſſus ſum, tam multa licet prodigia illius nomine patraverim. Supereſt ut *mittam Spiritum veritatis*, *qui a Patre procedit*; ille veſtro ore, ac prodigiis, quæ ipſi geſſeritis, teſtimonium mihi feret. Vos e Synagogis pellendos denuntio, futurumque prædico, ut credant qui vos necaverint, ſe cultum Deo, ſacrificiumque obtuliſſe. Hæc vos præſcire, opportunum duco, ut, cum contigent, non perturbemini. Animis nunc mœrore occupatis, nemo ex vobis, quo proficiſcar, interrogat. Illud certiſſime aſſero, Spiritum ſanctum in vos minime illapſurum, niſi a vobis ipſe diſceſſerim. Neque tamen illud vobis animo fingite, Spiritum ſanctum ſcilicet ea tantum de cauſa venturum, ut præſidio vobis ſit; veniet quippe, ut me etiam purget, Mundumque arguat de peccato, de juſtitia, & de judicio; de peccato quidem, quod in media prodigiorum luce homines mihi credere noluerint; de juſtitia vero, quod falſis criminibus me oneraverint, omnique perſecutionum genere exagitaverint; de judicio tandem, quod prophano Dæmonis, a me jam damnati, cultui ſe ſe addixerint. Multa adhuc ſuperſunt docenda, quibus vos modo impares eſtis. Expectandus eſt divinus ille Spiritus, qui docebit vos omnem veritatem. Porro nihil ipſe proferet, quod ex Patre non hauſerit. Quin ex me quoque accipit, quidquid habet, aut eſt; cum enim omnia quæ habet Pater mea ſint, nihil profecto ab alterutro accipere poteſt Spiritus ſanctus, quin ab altero etiam refe-

referat. Brevi a vobis recedam: at paulo poſt vos iterum me videbitis. Loquebatur Chriſtus de ſua morte; poſt quam redivivus Apoſtolis erat appariturus. Hæc tamen illos nequaquam aſſecutos, paratoſque de illorum ſenſu ipſum interrogare, præoccupavit Chriſtus, docens, Mundum quidem de ſuo abſceſſu, nimirum de ſua morte, gaviſurum eſſe, ipſoſque in mœrore futuros; ſed mœrorem illorum brevi, poſt tres nempe dies, verſum iri in gaudium, numquam turbandum; Mundi vero gaudium in mœrorem viciſſim deſiturum. Tunc, adjecit, opus non erit ut apud me vota preceſque adhibeatis: exaudiet Pater ſtatim ac meo nomine ipſum poſtulaveritis. Hactenus Patrem rogaſtis quidem; ſed non ut oportet, meo ſcilicet nomine. Ego ſane ipſum pro vobis precabor; ſed etſi non precarer, veſter tamen in me amor, & conſtans fides ſatis eſſent, ut votorum omnium finem ipſe vobis largiatur (*a*).

Paſtor percutiendus, & oves diſpergendæ.

XVI. Totum deinde humanæ Redemptionis ordinem, noſtræque Fidei ſummam exponens: *Exivi*, ait, *a Patre, & veni in Mundum; iterum relinquo Mundum, & vado Patrem*. Exivit enim a Patre, æterna generatione; venit in Mundum, naſcens in tempore; iterum reliquit Mundum per mortem; & ivit ad Patrem per aſcenſionem. Nihil hic ambiguum erat; quare Apoſtoli ei dixerunt: Modo palam loqueris citra ænigmata figuraſque. Profecto nihil te fugit; neque, ut mentium arcana pervadas, indiges ut quis te interroget, aut

(*a*) Joan. XV. XVI.

aut cauſas dubitandi proponat. Hinc firmiori, quam antea, fide credimus te eſſe Meſſiam, Deique Filium. Quibus Jeſus: Modo creditis? Brevi experiemini, quanti facienda ſint iſta quæ dicitis. Adeſt jam tempus, cum relicturi eſtis me, & pro viribus e diſcrimine elapſuri. Hac ipſa nocte paſſionis meæ conſpectus vos omnes de conſtantia dejiciet, juxta Scripturarum fidem: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis*. His tamen minime impediar, quin poſt quam reſurrexero, in Galilæa, vobis nondum illuc Hieroſolyma reverſis, me ſpectandum exhibeam. Tunc Petrus, ſe, ait, nullum paſſurum a Magiſtro ſcandalum; etſi ceteri omnes ſcandalo afficerentur. Cui Jeſus: Ante alterum galli cantum ter me abs te negandum ſcias. Pervicacior in ſua ſententia Petrus, vel mortem ipſam ſe pro illo toleraturum ſpondebat. Verum Jeſus ſermonem ſuum reaſſumens: Vos, ait, fugam arrepturos idcirco non prædixi, quod veſtri egeam, aut me ſolum relinquendum putem; ſemper enim mihi adeſt Pater; ſed hæc moneo, ut ea me prævidere intelligatis, neque tamen propterea fide minus certa polliceri futurum, ut vos iterum videam, conſolerque, ac veterem conſervem benevolentiam. Hortor etiam, ne paſſionis meæ ignominia vos terreat; quin potius in majorem ſpem exinde erigi debetis; victoriam namque, quam de me tuliſſe Mundus videbitur, ipſi exitium, mihi vero triumphum allaturum ſpondeo (*a*).

XVII.

(*a*) Matth. XXVI. 31. Marc. XIV. 27. Joan. XVI. 28.

Chriſti ad Patrem oratio. XVII. Dum propius ad hortum Olivarum accederet, ad Cælum levatis Jeſus oculis, verſoque ad Patrem ſermone: Pater, ait, tempus adeſt, ut me clarifices, efficiaſque, ut homines Filium tuum, verumque Meſſiam agnoſcant; totidem enim ille veros tibi cultores exhibebit, quot fideles Diſcipulos habuerit. Omnes terrarum populos in hereditatem Filio tradidiſti; Filius viciſſim in redemptionem omnium omninò hominum ſanguinem fundet, quò vitam æternam conſequi poſſint. Eo iter inſtituent, ſi fide illos inſtrueris, agnoverintque ipſi tuam, meamque Divinitatem. Cum omnibus vitæ meæ articulis in illud unum incubuerim, ut gloriam tuam ſuper Terram promoverem, augeremque, ac tuæ voluntati obtemperarem, meas nunc voces excipe, mihique eam gloriam largire, quam apud te ante Mundi exordium, totaque ab æternitate habui. Diſcipulis mihi a te creditis nomen tuum manifeſtavi, perſpicuumque feci, me nihil docere quod a tę non didicerim: nec fruſtra quidem; nam tradita a me dogmata ſuſcepere, meque Meſſiam Filiumque tuum credidere. Digni autem illi ſunt, quorum potiſſimum cauſa ego apud te ſupplex fiam; primum quod & tui & mei ſunt; omnia quippe tibi ac mihi ſunt communia; deinde quod illi gloriam mihi comparavere, meis tuiſque præceptis obtemperantes. Hactenus una cum eis verſans, per me illos tueri ac defendere ſtudui, nullumque amiſi præter Judam, qui in exitum ſponte ruit, ut ſua Scripturis fides conſtaret.

Cum

Cum autem nunc abeam, tibi eos credo. Illos tuere Pater ſancte, mutua caritate conjunctos, neu patiare, ut illos diſpergat inimicus ac perdat; ſed potius in ope tua gaudium ac tutamen inveniant, quod me præſente ac defenſante experiebantur. Voluntatem tuam a me edocti exceperunt, & exequuntur; quam ob rem & illos & me odit Mundus. Non rogo tamen, ut ex impiorum conſortio removeantur, ſed ne animis, aut fide cadant. Tu, cum me in Terras mitteres, gratia & veritate cumulaſti; hoc ipſum effice erga Apoſtolos, quos ad Evangelium prædicandum ipſe deſtinavi. Non pro illis autem tantum ſupplex ad te accedo, preceſque fundo, ſed & pro omnibus, qui tota ſæculorum ſerie illorum prædicatione credituri ſunt. Id vero potiſſimum poſtulo, ut arctiſſimo illos concordiæ, mutuæque caritatis vinculo adſtringas, quo Mundus novam hanc animorum in idem conſpirantium unitatem intuentes, fidem amplecti, meæque miſſioni ac doctrinæ teſtimonium ferre cogantur. Gloriam, quam mihi dediſti, omnibus, qui fide initiandi ſunt, communicavi, nobiliſſimam ſcilicet filiorum Dei conditionem. Peto proinde, ut tanta dignitate præditi, tamquam ejuſdem Patris filii ſingulari amore, perfectiſſimaque conjunctione idem ſentiant, velint, exequantur, unitique, uti nos invicem, perſeverent. Rogo præterea, Pater, ut meis fidelibus æternam in Cælis beatitudinem, qua ipſe fruor, tandem & ipſis largiaris. Te noſſe, tuaſque inſtitutiones audi-

re

re Mundus detrectavit: perpaucis vero illis, qui credidere, te manifeſtavi, magiſque poſt reſurrectionem manifeſtabo. Hos ama, Pater, uti me amaſti; ut in illis jugiter perſeverem. Ita Chriſtus preces pro Eccleſia exhibitas clauſit (*a*).

Chriſtus in horto Gethſemani Patrem orat, & ſanguineo ſudore madet. A militibus captus ad Annam, Caipham & Pilatum deducitur. Interim Petrus illum negat, & Judas mortem ſibi infert.

CAP. II.

ANNO MUNDI 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29.

Chriſtus in horto Gethſemani.

I. MOnitis Apoſtolos ſuos inſtruens Jeſus, preceſque ad Patrem fundens, tranſgreſſo Cedron torrente ad orientale latus Hieruſalem, tandem ad hortum Gethſemani venit. De nomine Cedron lis eſt inter criticos. Aliis ita dictus creditur a cedris, in utraque ripa conſitis. Alii Cedron obſcuritatem ſonare volunt, idque nominis inditum vel a torrentis profunditate, vel ab aquarum nigredine. Gethſemani vero Hebraice eſt vallis pinguis, vel olei, ſive ab oleis quibus abundat, ſive ab ubertate. Hortus, quo ſeceſſit Jeſus, prædii pars erat, ad radices montis Olivarum; quem locum, utpote a Jeſu frequentatum, Judas traditor optime norat. Dum ſolemnitates Hieroſolymis agerentur, Judæorum multitudo nonniſi ægre intra urbem excipi pote-

(*a*) Joan. XVII. I.

terat; ob Cæli autem temperiem in agro & circa urbem pernoctabant. Ceteris noctibus Jeſus interdum Bethaniam divertebat; ſed tunc ſolummodo, cum non cœnaſſet. Cum vero ea nocte quæ ſextam feriam præcedebat, cœnam in urbe feciſſet, certo collegit Judas, illum ultra hortum non progreſſurum; eoque propterea ſatellitibus ſtipatus, ut poſtea dicemus, recta contendit. Ingreſſus igitur hortum Jeſus, Apoſtolis tamdiu ſubſiſtere juſſis, quamdiu preces abſolviſſet ſuas, cum Petro, Jacobo & Joanne oraturus ad loci remotiora proceſſit. Procedentem continuo triſtis adeo illum angor invaſit, ut ad tres illos Apoſtolos converſus, lethali ſe opprimi meſtitia, dixerit. Cum illos deinde monuiſſet, ut orationi inſtantes excubarent, ne ſopitis irreperet tentatio, ad lapidis jactum ſecedens, vultu in terram proſtrato, Patrem rogavit, ut ſi fieri poſset, calicem paſſionis a ſe averteret; libere tamen ei permittens, ut quidquid ipſe mallet, ſua voluntate minime attenta, abſolutiſſimo exequeretur arbitrio. Hic Chriſtus neque de Patris poteſtate, neque de æterno illius decreto dubitat, ſed humano modo loquitur, oratque. Orantem autem Angelus de Cælo miſsus eſt, ut conſolaretur, mæroremque illius leniret; ſed ille extrema reſolutus animi ægritudine, diutius orationem produxit, in tantum ut ſanguineo ſudore totus, & terra circum maderet: *Factus eſt*, ſcribit Lucas, *ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram* (*a*).

(*a*) Joan. XVIII. 1. XIV. 3. Luc. XXII. 40. Matth. XXVI. 36. Marc.

Unde ſudor ſanguineus? II. Quæ hic narrantur, urgebant plerique Patres adverſus illos, qui Incarnationis myſterium infirmantes, nonniſi ſpecietenus mala pertuliſse Chriſtum aſserebant. Alii vero ſuſpicati, Ethnicos ea hiſtoria abuti poſse, ut indignas Jeſu Chriſto conſecutiones inferrent, quaſi ſcilicet parum decuerit ipſum humanis affectibus & imbecillitate commoveri, totum textum ab Exemplaribus expunxerunt (*a*). Nos de narrationis hujus fide ne dubitantes quidem, ad firmandum verborum S. Lucæ genuinum ſenſum gradum facimus. Putat Ligfootus, Chriſtum exhibita Dæmonis ſpecie territum fuiſſe. Singularis hæc eſt viri ſententia, nulla ratione munita. S. Hieronymus ſudoris ſanguinei cauſam ex orandi ardore & vehementia accerſit (*b*). Quidquid paſsurus erat Chriſtus, proditio Judæ, Diſcipulorum imbecillitas, contumeliæ, verbera, crux, mors, omnia ſe ſe illi objecere. Hominum ſcelera, & perfidiam, Judæorumque ſævitiam vidit. His illius animus ſauciatus eſt. Divinitatis in ipſo habitantis, Beatitudiniſque, qua potiebatur, vim eo tempore averterat Jeſus, ut totam, qua late patebat, naturæ humanæ infirmitatem experiretur. Hanc tamen animi ægritudinem ſicuti ſua ſponte ſuſcepit, excitavitque, ita ſtabili mentis conſtantia, qua Patri per omnia ſubjiciebatur, moderatus eſt. Hæc Chriſti orantis pugna, hoc certamen, & agonia, unde ſanguinei ſudoris origo.

III.

(*a*) Vide Epiphan. in Anchor. c. 31. 32. 33. Hieron. l. 2. cont. Pelag.

(*b*) Hieron. ibidem.

III. Nonnulli ex modernis Criticis, Euthymium & Theophilactum ſecuti, contendunt, nunquam ſatis aperte ex Evangelio demonſtrari, Jeſum ſanguine, ſed tantum guttis ſanguinis ſtillaſſe, hoc eſt ſudorem quidem, uti ceteri omnes, emiſiſse, ſed multo craſſiorem, ut ex ejus corpore veluti globulos, guttis ſanguinis ſimillimos, formaret, quod alii corpori adhærerent, alii ad terram uſque defluerent (*a*). Cenſet Photius, Lucæ verbis hyperbole quadam intimum doloris ſenſum, ſupremamque Chriſti virium deſtitutionem deſignari; quemadmodum vulgo dicimus, hominem in anguſtiis poſitum, aqua & ſanguine ſudare (*b*). Has tamen ſententias Lucæ textus non patitur; Græca enim vox *Thrombos*, quam Evangeliſta adhibuit, proprie ſonat concretum ſanguinem, & parvulum quemdam tumorem, poſt eductum e vena ſanguinem aliquandiu apparentem, qui e ſanguine extra vaſa coagulato, & in globulos concreto circa cutem efficitur. Porro nihil tale ſcimus de ſudore, qui non figitur. Sudor igitur & ſanguis eodem temporis ſpatio e Chriſti corpore ſtillarunt. Mixtus autem ſudore & ſanguine humor tanta copia manavit, ut ad terram uſque deflueret, quod per humentem ſudore cutem facile devolveretur. Contingens vero terram, ſtatim concreſcebat. *Vetus Chriſti ſanguis.*

IV. Miraculo rem totam deputat S. Hilarius; verum communis opinio fert, ſudorem il- *Miraculum ne interfuerit,*

L 2

(*a*) Grot. Pric. Ham. Theodorum.
(*b*) Phot. epiſ. 138. ad

illum ſanguineum naturæ vires non ſuperaſse, majori tamen expreſsum fuiſse vi, & copia, quam ſoleat plerumque; plures enim, audita mortis ſententia, in ſe prountiata, ſanguineo ſudore maduerunt (*a*).

Spiritus promptus, caro infirma.

V. Cum oraret Chriſtus, identidem ad Apoſtolos redibat; cumque primo in ſomnum reſolutos offendiſset, Petrumque objurgaſset, quod ne brevi quidem horula ſecum vigilaret, orationi omnes incumbere juſſit, ne in tentationis diſcrimen venirent. *Spiritus quidem*, ait, *promptus eſt, caro autem infirma*; hoc eſt: Jam nunc experientia diſcitis, parem vos non habere animi ardori corporis alacritatem. Vel, tantum imbecillitati veſtræ diffidendum, quantum pollicitationibus ſperandum jactabatis. Aliter, Diabolus potens eſt, & aſtutus; homo vero admodum debilis & infirmus. Secundum hæc iterum ad orationis locum ſe conferens, eodem quo prius corporis habitu, eadem quæ antea Patrem rogavit. Iterum & ad Apoſtolos; quos alto adeo ſopore merſos nactus eſt, ut ne reſpondere quidem interroganti ſcirent. Quare conſuetas ad Patrem preces tertio inſtituit. Regrediens poſtea ad Apoſtolos: dormite jam, ait, ſi lubet, & requieſcite: en tempus toties a me prædictum, quo in hoſtium poteſtatem tradendus ſum: proditor in limine eſt; cui obviam ire nunc oportet (*b*).

VI.

(*a*) Gregor. Leti vita edita. Sixti, Thuan. hiſtor. l. 2. Maldon. in Matth. XXIII. Calm. differt. hac de re 47.

(*b*) Matth. XXVI. 40. Marc. XIV. 37. Luc. XXII.

VI. Sub hæc, Judas in hortum ingreſſus eſt, militum cohortem a Principibus Sacerdotum acceptam, non ſine armorum, facum, & laternarum apparatu, ſecum adducens; quibuſcum condixerat, ut quem ipſe oſculo exciperet virum, hunc Jeſum eſſe noſſent, tenerentque. Proditor igitur Jeſu occurrens, oſculo ſalutavit, hæc ſimul affatus: *Ave, Rabbi*. Cui Jeſus: *Amice, ad quid veniſti? Oſculo Filium Hominis tradis* (*a*)? Recepit ſe ſtatim Judas ad milites; quibus obviam venientibus accurrens Jeſus, ecquem quærerent, interrogavit. Reſpondentibus, quærere ſe Jeſum e Nazaretha, *Ego ſum*, ait: ſtatimque illi ingenti horrore correpti, in terram ſupino ore ceciderunt. Iterum deinde interrogati, Jeſum ſe quærere iterum reſponderunt. Tunc Jeſus: Hoc jubeo, ut quando me unum quæritis, Diſcipulos meos abire ſinatis. Ea permiſſione accepta, manus in illum injicientes, vinculis alligarunt (*b*). *Judas Jeſum oſculatur.*

VII. Apoſtoli hæc videntes, ferirentne, a Chriſto quæſierunt. At Petrus, cui acre præ omnibus erat ingenium, impatiens moræ, nullum expectavit reſponſum; ſed ſtricto enſe, cæcis ictibus irruens, cuidam famulo ſummi Sacerdotis, Malcho nomine, aurem amputavit. Ne vero ultra proſequeretur, obſtitit Jeſus; tangenſque aurem præciſam continuo ſanavit; ſimulque increpato Petro, quod ſe paſſionis calicem a Patre præparatum bibere nollet, *Capto Chriſto, Petrus aurem Malcho abſcidit.*

L 3

(*a*) Matth. xxvi. 47. Marc. xiv. 40. Luc. xxii. 46 (*b*) Joan. xviii. 4.

let, injunxit, ut vagina ferrum reconderet, quod digni ſint morte per gladium illata, qui privata auctoritate injurias gladio ulciſcuntur. Adjecit, potuiſſe ſe pluſquam duodecim Angelorum legiones, duo nempe & ſeptuaginta millia, a Patre in ſui præſidium obtinere; noluiſſe autem, ut Scripturarum oraculis ſua fides conſtaret. Verſus deinde ad turbam, Sacerdotes, Scribas, & Templi Præfectos, qui una cum militibus venerant. Frequenter, ait, in Templo verſatus ſum, ac publice docui, meque tenere auſi non eſtis. Nunc vero in me, ceu in latronem, irruitis. Nimirum tempus jam adeſt, quo furor veſter, ac diaboli odium in me denique expleatur. Apoſtoli tunc omnes, relicto Jeſu, fugerunt, quod ſimul ſe vinctum iri timerent. Cum vero quidam juvenis, quem alii Jacobum, cognomine Juſtum, Chriſti conſanguineum, alii Joannem Evangeliſtam, alii vero extraneum ab Apoſtolis autumant, amictus ſindone ſuper nudum, Chriſtum comitaretur, apprehenſus a militibus, relicto in eorum manibus amictu, nudus aufugit. Captus itaque alligatuſque Jeſus, ad Annam, Caiphæ ejus anni ſummi Pontificis ſocerum, adductus eſt (*a*).

Petrus in domum ſummi Sacerdotis ſuccedit.

VIII. Petrus, & alius quidam e Diſcipulis Magiſtrum a longe ſequebantur, ut rei finem aſpicerent. Cum autem Diſcipulus iſte, quem Interpretes non rari Joannem Evangeliſtam volunt, in domo ſummi Sacerdotis notiſſimus eſ-

(*a*) Matth. XXVI. 50. 49. Joan. XVIII. 10. Marc. XIV. 46. Luc. XXII.

eſſet, in atrium ingreſſus eſt; egreſſuſque dein una ſecum & Petrum præ foribus verſantem introduxit. Cohors militum, qui Jeſum deduxerant, igne in eodem atrio excitato algentis brumæ frigus depellebat, quibus etiam ſe ſe Petrus adjunxit (*a*).

IX. Annas ſummus Sacerdos de doctrina & Diſcipulis Jeſum interrogavit, qua ſcilicet auctoritate Diſcipulos collegerit, novam ſectam inſtituerit, mores Legemque corrigere, novaque dogmata ſpargere auſus fuerit. Cui Jeſus conſtantiſſime reſpondit, nihil ſe niſi in Templo & Synagogis locutum; quamobrem auditores interrogaret. Loquentem quidam e Pontificis famulis, ingenti in os ejus impacto colapho, intercipiens: Itane, ait, cum Pontifice loqueris? At Jeſus: Si quid mali locutus ſum, palam facito; ſi vero bene, cur me cædis (*b*)? *Jeſus ab Anna interrogatur.*

X. Ad Caipham poſtea, in eadem fortaſſe domo commorantem, Chriſtus remiſſus eſt; quo Sacerdotes & Legis Doctores convenerant, quærentes teſtimonia, ut Jeſum morti addicerent. Nonnulli falſi teſtes auditi ſunt; quorum tamen accuſationes illi damnando minime ſufficere videbantur. Duorum tantum teſtimonia aliquid ponderis habere viſa ſunt; deponebant enim, Chriſtum dixiſſe, Templum Dei ſe everſurum, ac trium tantum dierum ſpatio reſtituturum. Porro hæc verbis Chriſti nec reſpondebant; dixerat enim: *Solvite Tem-* *Ad Caipham adducitur Chriſtus. Falſa in ipſum teſtimonia, & ludibria.*

L 4 *plum*

(*a*) Matth. XXVI. 58. Joan. XVIII. 15.
(*b*) Joan. XVIII. 19.

plum hoc, & in tribus diebus excitabo illud (*a*); nec, ſi reſpondiſſent, capitale crimen continebant. Silebat Jeſus ad illas cavillationes, ſilentemque Caiphas interrogavit, cur nihil reſponderet? quem in ſilentio adhuc perſiſtentem per Deum vivum adjuravit, ut an Chriſtus Dei Filius eſſet, fateretur. Cui Jeſus: Tu dixiſti; quin Filium Hominis nubibus vectum, Deique dexteræ aſſidentem, ad judicium venturum, vos aliquando viſuros, prædico. His auditis, Caiphas diſruptis veſtibus, audiſſe ſe blaſphemiam, quæ damnando reo abunde ſufficeret, conclamavit; conclamatum eſt pariter ab omnibus, morte dignum eſſe virum, qui talia effutiret. Dimiſſo in hunc modum cœtu, Jeſus militum in atrio commorantium cuſtodiæ & licentiæ permiſſus eſt. Illi ludibrio excipientes vultum illius lineis velabant, expuebant in faciem, colaphis pugniſque cædebant, atque inſultantes: Cum vatem agas, dicebant, divina, quis te percuſſit (*b*).

Petrus Jeſum negat. XI. Inter hæc, Petrus, qui in eodem atrio cum militibus ad prunas ſtabat, a quadam ſummi Sacerdotis ancilla, quæ cum oſtiariam ageret, ipſum introduxerat, agnitus, tamquam Chriſti Diſcipulus palam accuſatus eſt. Negavit Petrus, proteſtatus, ſe ne facie quidem hominem noſſe. Paulo poſt ex atrio egrediens, in veſtibulum ſe contulit, ubi gallum cantantem audivit. Iterum alia ancilla idem, quod prior, de Petro affirmavit; iterumque ipſe juratus negavit. Poſt horam quidam ex aſtantibus

(*a*) Joan. II. 19. Marc. XIV. 54.
(*b*) Matth. XXVI. 59.

bus rurſum eamdem de illo ſuſpicionem promovit; cui & ceteri omnes aſſenſere, ex ipſo loquentis ſermone Galilæum eſſe probantes. Tandem neceſſarius quidam Malchi illius, cujus aurem Petrus præciderat, vidiſſe ſe illum in horto teſtatus eſt. Sed Petrus ſacramentum ingeminans, contraria omnia affirmabat. Continuo galli cantus adhuc loquentis auribus inſonuit, ſimulque Jeſus non longe ſtans, virum intuitus eſt. Tunc ille in mentem revocans, quæ ab eo audierat, futurum nempe ut ipſum, antequam gallus bis cantaret, terna negatione rejiceret, egreſſus ex atrio, largo fletu crimen expiavit (*a*). Quamvis autem graviſſimum fuerit peccatum Petri, minime tamen ille fidem amiſit. *In illa negatione*, ait S. Auguſtinus, *intus veritatem tenebat*, *foris mendacium proferebat* (*b*).

XII. Cum cœtus præcedente nocte habitus neque communis omnium fuerit, neque juridicus; clam enim & nocte ex Legum ſanctione jus non dicitur; ut primo altera dies, feria ſcilicet ſexta illuxit, Sacerdotes, Scribæ, & Doctores in Concilium apud Caipham, vel, ut quidam malunt, in Templum collectum, coeuntes, de nece Chriſti deliberarunt. Coram igitur adductus Jeſus, interrogatuſque, num Chriſtum, ſcilicet Meſſiam, ſe diceret, reſpondit: Si verum dixero, aſpernaturi eſtis; ſi autem vos obſecravero, neque reſpondebitis, neque me dimittetis. Vices tamen meæ ve- *Concilium adverſus Jeſum.*

(*a*) Matth. xxvi. 67. Marc. xiv. 65. Luc. xxii. 56

(*b*) Auguſt. l. contra mendac. c. 6.

venient, apparebitque tandem Filius Hominis ſedens a dextris Dei, ut ſeveriſſimum in adverſarios judicium exerceat. His auditis inſtiterunt magis, quæſieruntque iterum: Tu ergo es Filius Dei? Affirmantem dignum eſſe morte communi ſuffragio ſtatuerunt, neque alios ea de re teſtes audiendos (*a*). Concilium iſtud nonnullis eſt Synedrium.

Chriſtus ad Pilatum ducitur.

XIII. Juxta commune Eruditorum placitum nullum erat apud Judæos eo temporis ſanguinis jus; & quamvis illi de reis cognoſcere permitterentur, capitalis tamen ſententiæ executio ad Provinciæ Procuratorem ſpectabat. Hoc magiſtratu tunc Pilatus fungebatur; quare ad ipſum deductus eſt Jeſus. Ajunt, licuiſſe quidem Judæis ſubito impetu aliquem occidere, ut ex S. Stephani martyrio liquet; quod illi *Judicium zeli* nuncupabant; cum ſcilicet multitudo ſtudio Legis rapta in illius violatores irrueret. Verum cum in cauſa Jeſu juridice procederetur, jam nullus erat locus *Judicio zeli* (*b*). Ad Pilatum igitur Jeſus ducendus erat. Ne tamen Judæi contaminarentur, & a deguſtandis victimis paſchalibus religione abſterrerentur, Prætorium, Præſidis ſcilicet viri ethnici, atque adeo inter impuros ex gentis opinione computati, ædes ingredi recuſarunt.

Judæ deſperatio, Haceldama, triginta argentei.

XIV. Interim Judas, proditionis in Magiſtrum reus, morte damnatum illum intelligens, criminis pœnitudine ad Principes Sacerdotum & Scribas pecuniam acceptam retulit, pec-

(*a*) Matth. XXVII. 1. Marc. XV. 1. Luc. XXII. 66. (*b*) Joan. XVIII. 28. Calm. dict. V. *Zelus*.

peccaſſe ſe, innoxium virum tradendo, proteſtatus. Nihil ſua id referre, illi reſponderunt. Quare Judas projecta in Templum pecunia, abiit, & loqueo ſe ſuſpendit, mediuſque diſruptus viſcera effudit (*a*). Si Euthymio fides, ab arbore, qua pendebat, cujuſdam ope divulſus, inter vivos aliquandiu ſuperfuit; ſublimi deinde loco dilapſus, ventre diſrupto, viſcera effudit. Judæ pœnitentiam nonnulli commendant, quos inter Origenes & Theophylactus. Ajunt enim: cum Dominum, jam mortis damnatum Judas audiſſet, ſeque veniæ hic obtinendæ omnino imparem cogitaſſet, ad mortem properavit, ut morituro Domino moriens ipſe præiret, eumque, a quo veniam poſtularet, in altera vita operiretur (*b*). Communi tamen Patrum & Interpretum ſententia, quod de miſericordia divina diffiderit, damnatur. Deliberatum autem eſt inter Sacerdotes, quid de pecunia illa fieret; & cum pretium ſanguinis in ærarium Templi inſerre nefas arbitrarentur, emendum eo pretio agrum figuli cujuſdam in peregrinorum ſepulturam cenſuerunt; qui ager *Haceldama*, ſeu potius *Chakeldam*, ager ſcilicet, vel hereditas ſanguinis, appellatus eſt. Peregrinorum nomine quidam Judæos advenas, quos Hieroſolymis obire contingeret, intelligunt; alii etiam Ethnicos, & Proſelytos, pauperes denique ac ſepultura mulctatos. Druthmari ætate eo loco hoſpitalis erat do-

(*a*) Matth. xxvii. 3. Act. i. 18.

in Matth. Vide hanc Hiſt. l. 1. c. 5. n. 8.

(*b*) Origen. tract. 35.

domus in uſum eorum, qui ſacrum Palæſtinæ iter ſuſcipiebant. Ex recentioribus Itinerariis diſcimus, agrum eſſe anguſtiſſimum, fornice a S. Helena tectum, ſupra quem vulgo gradiuntur, patentibus in inferiorem partem quibuſdam foraminibus, inſtar ſpiraculorum, unde cadavera demittuntur, intra viginti quatuor horarum, vel ut alii volunt, tridui, aut quatridui ſpatio reſolvenda; adeo acris eſt humus illa, & ſalinis ſpiritibus feta. De triginta argenteis, quibus ager ille emptus eſt, plures feruntur ſententiæ. Rupertus Abbas ſingulis illis monetis unius Julii valorem tribuit, Lyranus ſcutum Romanum, ſcilicet decem Julios, Baronius libram argenti, quæ centum Julios excedit. Alii in argenteis ſiclos, alio nomine ſtateres, agnoſcunt; qui tamen inter ſe ſe non conveniunt, nam ſiclus aliis eſt duo Julii, aliis quatuor, alii ſex. Nos quatuor alibi prætulimus (a). Hinc Chriſtus pretio centum viginti juliorum venditus eſt, atque his emi poterat. anguſtiſſimus ager figuli, ita dictus ſive a terra inde effoſſa pro vaſis fingendis, ſive a teſtarum fragmentis in eum projectis.

Pila-

(a) Vide hanc Hiſt. l. 1. §. 7

Pilatus Chriſtum interrogat; & ad Herodem mittit. Herodes illuſum ad Pilatum remittit. Pilatus innocentem flagellorum, & crucis damnat. Iter ad Calvarium. Felle & myrrha Chriſtus potatur.

CAP. III.

I. TRaditum in manus Pilati Jeſum, cum ejus accuſatores extra Prætorium ſe continerent, coram illis Præſes eduxit. Quid deinde accuſationis in illum afferrent, interrogans, cum reſpondentes audiſſet, nunquam ſe commiſſuros fuiſſe, ut neci tradendum virum inſontem ad illum adducerent, ipſe in eorum ſe manus reum permittere, mulctandum pro arbitrio, Legiſque ipſorum præſcripto, dixit. Ad hæc Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam* (*a*). Quid autem metuebant Judæi, permittente Pilato? Invidiam & ſeditionem populi, apud quem Chriſtus loco Prophetæ habebatur. Hæc communis reſponſio eſt. Malunt tamen alii, Judæos iram ipſius Pilati pertimuiſſe, quod ejus permiſſio eſſet ironica, vel flagra tantum ſpectaret (*b*). Nonnulli tandem aliam cauſam præferunt, quod ſcilicet tempus tunc feſtum, nempe Paſcha, ageretur, quo ex Judæorum moribus reos morte afficere nefas eſſet (*c*). Quæritur etiam, quando & cur Judæis

ANNO MUNDI 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29.

Judæis, quamvis annuente Pilato, Chriſtum occidere nolunt.

(*a*) Joan. XVIII. 31.
(*b*) Scalig. Lightf. Grot.
(*c*) Berti de Theol. Diſcipl. l. 33. c. 1.

dæis jus ſanguinis ademptum fuerit? Seldenus aliique putant, capitalia judicia revera Judæis ablata non fuiſſe, ſed illos ab iis exercendis ſponte ceſſaſſe, tum ob Præſidum metum, tum ob ſceleſtorum licentiam & multitudinem; ob idque loco, in quem Patres Synedrini in Templo conveniebant jus dicturi, relicto, ſedes alibi conſtituiſſe, ne Leges impune violatas cernere cogerentur. Hæc quidem ex Rabbinorum teſtimonio expreſſa ſunt, aſſerentium pariter, id 40. annis ante Hieroſolymorum caſum, eodem ſcilicet anno, quo Chriſtus occiſus eſt, eveniſſe. Repugnant huic ſententiæ Scaliger, aliique multi, putantque, id contigiſſe longe ante, Archelao ſcilicet Rege Judæorum Viennam relegato, redactaque in provinciam Judæa. Propius enim vero eſt, Romanos Præſides capitalia judicia tunc temporis ad ſe avocaſſe, ob eas cauſas, quas nemo non divinaverit. Diſponente autem Deo ademptum fuit Judæis jus ſanguinis, ut ex Romanorum legibus, quæ ſeditionis reum in crucem agebant, cruce afficeretur Jeſus, quemadmodum David, (*a*), & ipſemet Salvator prædixerant.

Jeſus a Pilato interrogatur.

II. Judæi, quo Pilatum in Jeſum magis incenderent, addiderunt, virum illum publicæ quietis perturbatorem eſſe, qui dari tributum Cæſari nefas eſſe doceret, ſeque Chriſtum, id eſt Meſſiam, & Regem Judæorum faceret. Reductum igitur in Prætorium aſſidens in Tribunali interrogavit Pilatus, an Rex eſſet Judæorum? Quæſivit viciſſim Jeſus, num hæc a ſe-

(*a*) Pſ. xxi. 17.

ſemetipſo diceret, an ex aliorum verbis & relatione? Cui Præſes indignatus: An Judæus ego ſum, ut ſciam te Regnum gentis tuæ affectare? Pontifices tui, Proceresque populi hoc te crimine accuſant. Quid feciſti? Excepit Jeſus: Regnum meum non eſt de hoc Mundo: ſi terrenum mihi eſſet Imperium, ſubditos vitæ meæ defenſores adverſus Judæos haberem. Ergo, ait Pilatus, *Rex es tu?* Ad quem Jeſus: *Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam* (*a*). Quorum verborum geminas damus interpretationes. Prima, vera loqueris, ſum Rex. Idcirco enim in Mundum veni, ut veritatem annuntiarem, veritatiſque amatores haberem ſubditos, & diſcipulos. Altera, vera loqueris: ſum Rex. Regios enim ortus habui, atque in Mundum veni, ut regnarem. Hoc ego veritati teſtimonium debeo; & qui amat veritatem, novit me id loqui quod eſt veriſſimum. Tum Pilatus: *Quid eſt veritas?* Nullaque expectata reſponſione ad Judæos iterum egreſſus eſt. Pilatus Pyrrhoniſmum facile profitebatur; quare immorandum ſibi non cenſuit in veritatis inquiſitione, quam nullam eſſe rebatur. Vel fortaſſe putabat, Jeſu Chriſti Regnum tale eſſe, quale Stoicus fingebat, cui Sapiens tantummodo erat beatus, pulcher, dives, eruditus, liber, Rex denique Regum (*b*). Quamobrem noluit

(*a*) Joan. xviii. 37. 3. & l. 1. ep. 1.
(*b*) Horat. l. 1. Satyr.

luit urgere Pilatus, utpote in re ad cauſam minime pertinente. Cum ergo Præſes ad Judæos rediiſſet, nihil in eo viro morte dignum ſe deprehendiſſe, proteſtatus eſt. At illi ingeminarunt accuſationes; quas Jeſus ne verbulo quidem retundebat, ut mirari Præſidem vehementer contingeret. Iterum atque iterum Judæi elata voce ſucclamabant, ſeditioſum eſſe virum, turbaſque per totam regionem a Galilæa uſque Hieruſalem cientem. Audito Galilææ nomine Pilatus, num Galilæus eſſet vir ille, interrogavit. Cumque illum ex ea regione, quæ ad Herodem, in urbe tunc verſantem, eſſe intellexiſſet, hanc opportunitatem arripiens, ut ſe ſe ab iniquis Judæorum expoſtulationibus expediret, ſimulque Regis illius, ſibi inimici, gratiam iniret, delato ipſi obſequio, quod ſibi nullius eſſet diſpendii, ad illum Jeſum, omnemque cauſam remiſit (*a*).

Herodes Jeſum contemnit.

III. Herodes, qui audita de miraculis Jeſu fama, illius videndi deſiderio jamdiu tenebatur, rem nequaquam gravate accepit, ſperanſque futurum ut ille coram prodigium aliquod ederet, plura ex ipſo ſciſcitatus eſt; fruſtra tamen, Jeſu ad omnia ſilente. Contempſit proinde Jeſum Herodes, ejuſque ſatellites, indutumque *veſte alba* ad Pilatum remiſit; veluti nullius pretii hominem, cujus ambitio metuenda non eſſet; qua occaſione hoſtiles antea Herodis & Pilati animi reconciliati ſunt (*b*). Porro colore albo regiæ Chriſti dignitati inſul-

(*a*) Matth. XVII. 12. Marc. XV. 4. Luc. XXIII. 5.

(*b*) Luc. XXIII. 8.

ſultari potuit ; nam color albus apud Perſas, Ægyptios, alioſque regius habebatur. Romæ etiam, qui magiſtratus ambibant, albis veſtibus conſpiciebantur; unde illud *Candidati*. Græcus habet, *veſte fulgenti*; quæ vox nitorem potius, quam colorem ſignificat. Verſio Syriaca præfert, *veſte coccinea*, ſive *purpurea*; qui color ad idem ludibrium ſpectat.

Pilatus ab uxore monetur, ut Chriſtum dimittat.

IV. Eo temporis intervallo odium Judæorum adverſus Jeſum evidentius noſcens Pilatus, ipſum liberare meditabatur; in idque impellebatur etiam uxoris ſuaſionibus, quæ virum monuit per nuntium, ut omnem de Jeſu cauſam dimitteret, graviter animo excruciatam ſe ſe in ſomnis affirmans, Juſti illius cauſa (*a*). Quid ſomniaverit mulier illa, quam nonnulli in Sanctarum numero recenſent (*b*), nomine *Proclam*, *Proculam*, *Proſculam*, *Claudiam Proculam*, prorſus ignoramus. Sunt qui hæc a malo ſpiritu, verito ne quid infortunii a nece Chriſti ſibi contingeret, repetenda voluerint. Multi ſomnium a Deo miſſum arbitrantur. Quidam denique putant, feminæ animum captura Chriſti occupatum natura ſua in hoc ſomnium erupiſſe. At notam fuiſſe illi Chriſti capturam, antequam cubitum iret, difficile probaretur. Præſes igitur tertio e Prætorio egreſſus, Jeſum pariter eduxit; proteſtatuſque eſt, nihil ſe, nihil Herodem in eo homine, quod morte puniendum foret, deprehendiſse.

(*a*) Matth. XXVII. 19. V. *Procla*.
(*b*) Vide Calm. Dict.

Emendatum ergo, adjecit, illum dimittam (*a*). Jeſum morte damnare recuſabat Pilatus, quippe nullius criminis conſcium; at invidiam Judæorum, illius necem flagitantium, vitaturus, vûlgare apud eam gentem flagrorum ſupplicium, quo in peccata capitalibus minora animadvertebatur, propoſuit. Verum, uti fit, neutris ſatisfactum eſt; neque Jeſum, neque juris æquitatem ſervavit. Pro uno duplex ſupplicium innocens ſubire cogitur, flagris, & cruce damnatus.

Barabbas Chriſto præfertur. V. Judæis itaque Pilati temperamento minime placatis, vehementiuſque poſcendæ Chriſti morti inſtantibus, aliam Pilatus inivit rationem Jeſu e Sacerdotum manibus liberandi, populo nimirumintercedente. Conſuetudo apud Judæos vigebat, ſive ex ipſiſmet orta, ſive a Romanis inducta, quod Grotius mavult, ut in ſolemnitate paſchali quemcumque mallent criminoſum hominem e vinculis liberarent. Vinctus eo tempore detinebatur Barabbas celeberrimus latro, ſeditioſus, & homicida. Ratus igitur Præſes ſceleſti hujus comparatione Jeſum liberandum, quæſivit a Judæis, ecquem ex duobus eligerent, Barabbam, an Jeſum? Populus agentibus Sacerdotibus & Scribis Barabbæ libertatem, Jeſu vero interitum poſtulavit. Pilatus iterum interrogavit, eademque reſponſione ſpe ſua iterum fruſtratus eſt. Quæſivit igitur, quid ergo fieret de Judæorum Rege? Cui illi: Crucifigatur. Rogavit iterum, cujus criminis reus ageretur? Se nempe nullum in illo deprehendiſſe; quare poſt ſeveram ani-

(*a*) Luc. XXIII. 13.

animadverſionem dimiſſurum. Abſcedens igitur Pilatus, in manibus militum Jeſum flagellis puniendum reliquit (*a*).

VI. Solebant Judæi novem & triginta dumtaxat virgarum ictibus in reos animadvertere (*b*). At nullus erat Romanis numerus. Hi modo virgis, modo loris utebantur; ſævius multo ſupplicium erant lora. Utro in Chriſtum uſi ſint, ignoramus. Ad columnam vinctus fuiſſe creditur, quam Romæ, ad Divæ Praxedis, ſacro illius cruore adhuc aſperſam, eoque a Joanne Cardinali Columna anno 1223. tranſlatam, oſtendunt, quæ cum trium dumtaxat palmorum altitudinis ſit, atque integra, illa equidem non eſt, aut illius pars, quæ teſte Hieronymo Paulæ oſtenſa fuit Hieroſolymæ, quæque Eccleſiæ porticum ſuſtinebat. Forte huic columnæ Chriſtus poſt flagellationem alligatus fuit. De numero lictorum, qui Chriſtum flagellarunt, non convenit, Gotti unum, Berti plures autumante. Probroſiſſimum erat verberari; qua ignominia immunes erant Romanorum legibus ingenui, & cives, præſertim Romani. Putavere nonnulli poſt Hieronymum (*c*), Pilatum, cum Jeſum Judæis crucifigendum tradidiſſet, prius damnaſſe flagellis ex Romanorum Græcorumque conſuetudine, qui crucifigendos ante flagellabant. Multo tamen probabilius videtur id quod *Chriſti flagellatio.*

M 2 jam

(*b*) Matth. XXVII. 15. Marc. XV. 6. Luc. XXIII. 18. Joan. XIX. 1.

(*b*) Deuter. XXV. 3.

2. Cor. XI. 24.

(*c*) Hieron. in Matth. XXVII.

jam adnotavimus, Jeſum ſcilicet flagellis cæſum, ut Judæorum furor aliqua ratione exoraretur. Joannes enim non obſcure indicat, Jeſum flagellatum fuiſſe antequam Pilatus de eo crucifigendo ſententiam pronuntiaſſet (*a*).

Chriſtus corona ſpinea redimitus. VII. Poſtquam in Chriſti corpus flagellis milites ſæviere, cum illum Regni affectati inſimulatum noſſent, dum rediret Pilatus, qui rem ſibi male ſuſpectam qualibet arte producere conabatur, regiam hominis dignitatem ludibrio excipientes, pannoſam purpuram illius humeris, capiti vero ſpineam coronam impoſuere; traditoque manibus ſceptro arundineo ſalutantes dicebant: Ave Rex Judæorum; ſacrum illius caput interim arundine percutientes, faciemque alapis, ſputiſque violantes (*b*). Fruſtra autem quærere laborant Interpretes, quo ſpinarum genere contexta fuerit Chriſti corona. Alii nigra ſpina, alii alba; hi rubo, illi junco marino, ſentibus horrenti exiſtimant. De forma etiam diſputatur, aliis diadema, aliis galerum tuentibus.

Pilatus Jeſum Judæis oſtendit. VIII. Secundum hæc, ducitur iterum Jeſus a Pilato coram populo, ut eo hominis fæde crudeliterque habiti ſpectaculo permotus, mitiora tandem conſilia non reſpuat. Oſtendens igitur Chriſtum populo, dicebat: *Ecce homo*. Sed ille fortius invaleſcens ad crucem virum poſtulabat. Acciperent illum, & pro arbitrio crucifigerent, Præſes propoſuit, ea quæ prius proteſtatus, ſe nimirum nullum dignum morte crimen in illo deprehendiſſe. Sed Judæi reum eſſe

(*a*) Joan. XIX. 1. 12. (*b*) Joan. XIX. 2.

eſſe mortis clamarunt juxta receptas apud ſe leges, quippe qui Filium Dei ſe venditaret. His auditis Pilatus inſolito timore correptus eſt. Sed quid tandem timebat? Populi ſeditionem? Nullum Chriſti rebus eſſe remedium? Ne quem Deum, aut Deorum Filium, in terras lapſum imprudens occideret? Difficile ſane eſt hæc definire. Recepit ſe tunc Pilatus iterum in Prætorium, & novam ad Jeſum quæſtionem inſtituens, interrogavit, cujas eſſet? Cum vero ſileret ad iſta Jeſus: Nihil, ait, mihi reſpondes? An neſcis, vitam mortemque tuam in mea eſſe poteſtate? Tunc Jeſus: Quidquid potes in me, Deo acceptum referre debes. Graviſſime quidem tu peccas, dum hac poteſtate abuteris; aliqua tamen ignorantiæ tuæ excuſatio; eorum vero, qui me tibi tradiderunt, invidiæ nulla. Nihil non movit exinde Pilatus, ut Jeſum liberaret, omnique conatu Judæorum pervicaciæ reluctabat. Reluctanti vero illi tandem denuntiarunt, futurum ut Cæſaris amicus non eſſet, ſi hominem ſeditioſum, Regnique affectati reum liberum abire permitteret. Statim ac iſta audiit Pilatus, cui ſuſpicax maxime ac meticuloſum Tiberii Imperatoris ingenium compertum erat, Jeſum ad Populum adduxit, ſeditque pro tribunali in loco qui dicitur *Lithoſtratos*, Hebraice autem *Gabbatha* (*a*). Lithoſtratos Græca vox eſt, pavimentum ex lapide ſtratum ſignificans. Gabbatha eſt editus locus. Forte locus, in quo tribunal extra Præ-

(*a*) Joan. xix. 4.

torium Pilatus erigi juſſit, elevatum erat ſolarium, aut porticus, ſive feneſtra porrecta, lapidibus vel marmore ſtrata. Critici quidam (a), rabbinicis narrationibus plus nimio deferentes, conjectavere, Lithoſtraton eſſe Aulam ipſam *ſepti lapidis*, ut vocant Judæi, in quam Synedrium, ſive Judæorum Senatus cogebatur. Ovatam ejus Aulæ formam fuiſſe tradunt, ut dimidia illius pars intra Templum, altera extra illud porrigeretur. Renuentibus Judæis in Prætorium ingredi, Præſidem ipſum eo ſe contuliſſe putant, atque in poſteriori Aulæ parte, extra Templum ſitæ, conſediſſe, ut Judæorum, in priori ſubſiſtentium, religioni aliquid indulgeret. At rem animadverſione ita dignam, Præſidem nempe ex ædibus ſuis in Templum intraſſe, eoque ductum Jeſum, ut ſententiam audiret, Evangeliſtæ nequaquam neglexiſſent, qui vel minimos Paſſionis eventus accuratiſſime deſcripſerunt.

Pilatus manus lavat.

IX. Sedens igitur Pilatus pro tribunali, ſententiam judiciali forma in Chriſtum pronuntiaturus, Chriſtum populo iterum oſtendit, addens ſimul: *Ecce Rex veſter*; quaſi diceret: En Rex Judæorum, quem citra Cæſaris offenſionem dimittere non licuit. Rex ſane metuendus? Jam nullus eſto ab eo timor. Reſpondit populus: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Ad quæ Pilatus: *Regem veſtrum crucifigam? Non habemus*, exceperunt illi, *Regem niſi Cæſarem*. Pilatus ut ſe a Chriſti morte expiaret, ſignificaretque ſimul, quam vehementer Judæorum odium

(b) Caſaub. Selden. Ligtf.

odium execraretur, aquam ſibi afferri juſſit, manuſque coram lavans: *Innocens*, ait, *ego ſum a ſanguine Juſti hujus: vos videritis*. Exclamarunt Judæi: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros* (*a*). Communis apud gentem illam imprecatio: Si hic noxa vacat, mortis illius crimen pœnamque nos filiique noſtri ſponte ſubimus. Formidabilis hujus imprecationis vim ſentire Hebræos, Mundus totus longe lateque videt, & ad finem uſque ſæculorum experturos credimus.

X. Ad extrema rem deveniſſe intelligens Pilatus, fruſtraque ſe agere, ac in momenta ſeditionem creſcere animadvertens, fractus tandem juſtitiam, quam hactenus utcumque tu-. atus fuerat, prodidit, dimiſſoque Barabba, manibus militum Jeſum crucifigendum tradidit, non per ſimplicem permiſſionem, ut viſum fuit Lactantio, & Chryſoſtomo (*b*), ſed prolata ſententia, ut ex evangelica narratione fert communis opinio. S. Joannes ſcribit, *quaſi hora ſexta*, nempe circa meridiem, Chriſtum a Pilato fuiſſe damnatum; S. vero Marcus crucifixum ſcribit *hora tertia* (*c*). Græci Codices nonnulli legunt & in Joanne *hora tertia*. Hoc ipſum prætuliſſe ajunt autographum Joannis, Epheſi ad quartum ſæculum uſque ſervatum (*d*). Alii viciſſim Marcum mendo

Chriſtus ad Crucē damnatur. Qua hora id contigerit.

M 4 la-

(*a*) Matth. xxvii. 24.
(*b*) Lact. l. 4. Inſtitut. c. 18. S. Joan. Chryſoſt. hom. de eleemoſ.
(*c*) Joan. xix. 14. Marc. xv. 15. Luc. xxiii. Marc. xv. 25. 24. Joan. xix. 12.
(*d*) Petr. Alexandr. MSS. de Paſchate apud Petav. & Voſſ.

laborare malunt, ejuſque Evangelium habuiſſe & ipſum *hora ſexta*. Utram ex his opinionibus elegeris, conciliandi evangeliſtas labor omnis aufertur. Hi, quibus religio eſt manum in evangelicas narrationes inferre, alii alio abierunt (*a*). Sunt autem inter illos, qui præter communem diei diviſionem in horas duodecim, alteram fuiſse contendant ex publicarum precum diſtributione, quæ hora tertia, ſexta, & nona habebantur. Conſuetudine autem inductum fuerat, ut tempus inter haſce horas fluens a præcedenti, vel conſequenti hora appellaretur, ut cuique videbatur. Chriſto igitur inter horam tertiam & ſextam damnato & crucifixo, ſcripſit Marcus, crucifixum fuiſse hora ſexta; Joannes vero, hora ſexta damnatum. Marcus horam ſextam prope elapſam uſurpat, Joannes horam ſextam mox inchoatam. Hæc inter alias, quæ hac de re circumferuntur, ſententia probabilior. Sextam autem diei horam in ipſo meridie conſiſtere, omnes novimus..

Chriſtus crucem bajulans ad Calvarium ducitur.

XI. Damnatum Jeſum arripientes Pilati milites in Prætorium raptarunt, propriiſque ipſius veſtibus expoliantes, purpura, corona, ſceptroque uti prius ornatum, veluti ſcenicum Regem iterum ſalutarunt, omnique ludibrii genere vexarunt (*b*). Suis deinde veſtibus indutus, atque ligno crucis prægravatus ad Calvarium deductus eſt, ut ſupplicio perimeretur

(*a*) Lyr. Mald. Menoch. Tillemont. Gotti, Berti, Grot. Calm.

(*b*) Vide Calm. in Matth. XXVII. 27.

tur. Sed cum viribus deſtitutus cruci ferendæ impar videretur, occurrentem forte ex agro quemdam hominem, nomine Simonem, Cyrene in Lybia, oriundum, patrem Alexandri & Rufi, ab aliis Ethnicum, ab aliis vero Judæum reputatum, coegerunt milites, ut crucem Chriſti ferret (*a*). An autem Simon toti ponderi ſuccubuerit, vel pendentem tantum poſt humeros Jeſu crucis partem ſuſtinuerit, inter incerta computatur. Incertum eſt etiam, utrum Chriſtus totam, compactamque crucem geſtaverit, an breviorem ſolummodo partem, quæ ex tranſverſo ponitur. Trabs enim directa in ipſo ſupplicii loco plerumque erigebatur, antequam eo reus perveniret; quod maxime probant illæ phraſes: *Elevare hominem in crucem, currere ad crucem, ſuſpendere in cruce, aſcendere in crucem*. Ita plane & cum Chriſto ſervatum, ut ſcilicet erecta jam parti crucis ſuſpenderetur, malunt nonnulli (*b*).

Mulieres Chriſtum ad Calvarium ſequuntur.

XII. Sequebatur Jeſum ad Calvarium non ingens tantum populi multitudo, ſed & feminarum, vicem ejus dolentium, turba; quas reſpiciens Jeſus, imperavit, ne vicem ſuam deflerent, ſed potius propria ipſarum filiorumque infortunia. Futurum eſt enim, ait, ut cælibes & quæ liberis carent, inter beatas ac bene fortunatas feminas cenſeantur; tunc ſcilicet cum populi perfugium in antris quæritantes, ad montes colleſque exclamabunt: O, rui-

(*a*) Matth. XXVII. 31. Marc. XV. 20. Luc. XXIII. 26.

(*b*) Binæus de morte Chriſti l. 3. c. 6. a 7. Lipſ. l. 2. de Cruce c. 7.

ruite ſuper nos, majoraque mala timentes ſepelite. Si ego juſtus & innoxius, viridique ligno comparandus, ſævis adeo ſuppliciis afficior, quomodo excipientur ligna arida, impii ſcilicet & ſceleſti (*a*)? Hæc Hieroſolymæ caſum ſub Tito ſpectare videntur.

Veronicæ Sudarium. XIII. Pia celebrique traditione receptum eſt, Chriſto Calvarium ſubeunti ex illis feminis unam, Veronicam nomine, occurriſſe, linteumque obtuliſſe, quo faciem tergeret, deterſoque Chriſti ore illius effigiem in linteo expreſſam fuiſſe. Hæc Chriſti imago *Sacrum Sudarium*, *Vultus Sanctus*, & *Veronica* appellatur, quæ Romæ in Templo Vaticano viſitur. Cum vero etiam Hieroſolymæ, alibique hujuſmodi imagines oſtendantur, dicunt, omnes ex uno eodemque exemplari depictas fuiſſe; vel potius idem linteum complicatum plures ſacrati vultus imagines exhibuiſſe. Porro hæc femina inter Sanctas a nonnullis recenſetur, & quamvis in Martyrologio Romano nuſpiam appareat, Romæ tamen obiiſſe ferunt (*b*). Non me fugit, Eruditos ſane multos hiſtoriam hanc negare, vel ſaltem in dubium revocare, quod de ea tota antiquitas ſileat uſque ad Marianum Scotum undecimi ſæculi Scriptorem; qui laudat quidem quemdam Methodium; ſed hunc eſſe magnum Tyriorum Epiſcopum pernegant, cum in illius ſcriptis hæc minime narrentur. Cenſent idcirco, Veronicam effictum eſſe nomen ex *Vera Icon*, ſci-

(*a*) Luc. XXIII. 27.

(*b*) Piazza Hemerolog. ad diem 4. Febr.

ſcilicet *Vera Imago*, ob veterem aliquam imaginem, qua vera Chriſti forma exhiberi credita ſit. Verum his reſponderi poteſt, quædam ex ſcriptis S. Methodii periiſſe (*a*), proindeque nil mirum, ſi ibi Sudarii hiſtoria non legatur. Ad nomen autem *Veronica* quod ſpectat, controvertitur quidem, utrum piæ illi mulieri primitus id nominis inerit, & ab ea exinde ad Sudarium derivatum ſit, vel e contra; & an ab exordio proprium illius nomen fuerit *Veronica*, ſive potius *Berenices*, aut *Beronices*. Sed hæc hiſtoriæ veritati minime officiunt (*b*).

XIV. Tandem ad Calvarium, montem ſeu collem haud procul ab urbe Hieroſolyma, ventum eſt. Calvaria, hebraice Golgotha, cranium ſignificat. Sterilis mons frequenter appellatur mons calvus, calvariæ inſtar nudæ & arentis. Alii eo nomine montem illum dictum volunt, quod calvariæ reorum eo loci ultimo ſupplicio affectorum, ibidem computreſcerent. Veteres haud infrequentes cenſuere, inditum fuiſſe loco nomen ex Adami calvaria, primi hominum parentis, in eo monte conditi (*c*). Nova Hieroſolymorum urbs non ſuper ruinas antiquæ, ſed in loco paulo ſeptemtrionali ædificata, Calvariæ montem non extra, ſed intus habet. *Calvarius mons.*

XV. Cum ad deſtinatum locum perveniſſet Jeſus, ſtatim vinum felle mixtum, vel myrrha *Chriſto vinum felle & myrrha mixtum propinatur.*

(*a*) Dupin. tom 1. novæ Biblioth.

(*b*) Gotti, & Berti.

(*c*) Vide hanc Hiſt. l. 1. c. 7. n. 2. & c. 10. n. 8.

rha conditum mox perimendo propinatum eſt; quod ille vix deguſtatum recuſavit. S. Matthæus habet: *Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum; & cum guſtaſſet, noluit bibere*. S. vero Marcus ſcribit, oblatum Chriſto *vinum myrrhatum*, oblatumque recuſaſſe (*a*). Ad conciliandum utrumque Evangeliſtam, reputant, fel S. Matthæi, & myrrham S. Marci unum idemque deſignare, amariſſimam nempe potionem. Perſuadentur alii, duas haſce potiones alio & alio tempore Chriſto oblatas fuiſſe; religioſas ſcilicet feminas, quæ comites Chriſtum ſecutæ fuerant, myrrhæ poculum illi paraſſe, ut ſenſum doloris hebetarent; fel vero poculo illi addidiſſe milites, ut cruciatus augerent. Quidquid ſit, Jeſus ſane *cum guſtaſſet, noluit bibere*. Guſtavit igitur, ut vaticinium adimpleretur: *Dederunt in eſcam meam fel* (*b*). Totum autem bibere noluit, ne quis illum cruciatibus lenimen & ſenſibus ſoporem quæſiviſſe criminaretur.

Chri-

(*a*) Matth. XXVII. 34. Marc. XV. 22.

(*b*) Pſal. LXVIII. 19.

Chriſtus in crucem levatus orat pro inimicis, blaſphematur, alteri ex latronibus Cælum promittit, Matrem Joanni, Joannem Matri commendat, moritur. Tenebræ Terram occupant. Velum Templi ſcinditur. Chriſtus ſepelitur. Multi ex mortuis reſurgunt. Chriſti ad Inferos deſcenſus.

CAP. IV.

I. POſt deguſtatam, recuſatamque potionem Chriſtus ſuffixus eſt cruci inter duos latrones, quos & in ſuo ad Calvarium itinere, ejuſdem pœnæ damnatos, ſocios habuerat (*a*). Horum medius, alterum a dextris, alterum vero a ſiniſtris habens, ſuſpenſus eſt Jeſus, tamquam nequiſſimus, uti quidem milites exiſtimabant; ſive ludibrii cauſa, utpote qui Regnum affectaſſe crederetur. In crucem rei agebantur nudi; nec mitius ea in re Chriſtum habitum fuiſſe, credimus. Chriſtiani tamen, obſequio in Jeſum, & pudori conſulere volentes, ſæpe exhibent illum in cruce veſtitum; ſæpe a renibus aduſque genua velamen appingunt; ſæpe tandem contenti ſunt ea tantum celare quæ videre pudor vetat. Crucem Chriſti duobus lignis adinvicem decuſſatis conſtaſſe, compertum eſt; ſive ambo ad angulos rectos in medio, vel paulo ſuperius, ſecarentur; ſive in medio quidem *Chriſtus cruci affigitur.*

(*a*) Luc. XXIII. 32. Joan. XIX. 18.

dem, ſed ad angulos acutos, ad modum Crucis S. Andreæ, ſive tandem alterum alteri inſtar furcæ ſupponeretur. Hanc poſtremam formam tuetur Serry; nos tamen primam præferimus; ita enim exhibent crucem Conſtantini nummi, & alia Veterum monumenta. Aliqua ergo in cruce ſupra tranſverſam trabem recti pali, ſive valli portio eminebat. Præter hæc, ſunt qui doceant, ſub Crucifixi pedibus quoddam ſcabelli genus porrectum fuiſſe, cui pedes affigerentur, & incumberent. Addunt nonnulli quemdam eculeum, ſive ſedile, cui Crucifixus inſidens, totum corporis pondus levaret (*a*). Quidam docuerunt, ex quatuor ligni ſpeciebus Chriſti Crucem conſtaſſe; unde ille verſiculus: *Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cypreſſus, Oliva*. Alii tria tantum, nempe abietem, buxum, & pinum præferunt. Sed quis credat, milites in eam rem varia, eaque pretioſa ligna quæſiſſe? Si Lipſium audias, Chriſti Crux ex unico ligno conſtabat, & quidem quercu, ſive robore, in Judæa, ut ipſe ſane autumat, contradicente tamen Petro Bellonio, ſatis vulgari. Suffixum Cruci Redemptorem ſpectaſſe Occidentem, communis eſt traditio. Hinc mos Veterum orandi Orientem verſus. Quoad clavorum numerum, alii tres, alii quatuor, in ſingulis manibus & pedibus ſingulos malunt. Poſterioris ſententiæ auctor videtur Gregorius Turonenſis; qui & addit, duos e clavis Chriſti ab Helena, Conſtantini matre, inſertos

fuiſſe

(*a*) Juſtin. Martyr. tull. l. 2. adver. Nationes. Dialog. cum Triph. Ter-

fuiſſe frenis equi, quo filius utebatur; alium vero in Mare Adriaticum tempeſtati ſedandæ projectum (*a*). Theodoretus autem, Ambroſius, aliique tradunt, unum ex illis galeæ filii ab eadem femina inſertum (*b*).

Chriſtus pro crucifixoribus orat. Titulus Cruci additus. Chriſti veſtes diviſæ.

II. Pendens e patibulo Chriſtus primum omnium pro crucifixoribus ſuis Deum in hæc verba oravit: *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt*. R. Iſaacus ſuper hac Chriſti oratione ita arguit (*c*): Aut Pater exaudivit Filium, aut non. Si primum; ergo falſum eſt id quod Chriſtiani oggerunt, Judæos ſcilicet præſentem diſperſionem pati in pœnam necis Filio Dei illatæ. Si alterum; ergo Chriſtus impoſtor eſt, qui aliquando ait, orationem ſuam a Patre ſemper exaudiri (*d*). Cui reponimus, Chriſtum efficaciter non oraſse pro omnibus Judæis, ſed pro illis qui neſciebant quid facerent, pro rudi ſcilicet populo, qui ad Apoſtolorum prædicationem reapſe converſi ſunt; oraſse etiam & pro militibus, qui viſis miraculis in Chriſti morte patratis, faſſi ſunt, ipſum eſse Filium Dei. Titulum indicantem damnati crimen cruci Jeſu latine, græce, & hebraice, quo ab omnibus legeretur, Pilatus inſcribi voluit: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*. Servatur adhuc Romæ in Templo S. Crucis, in Hieruſalem nuncupato, hujus tituli pars, in aſsere ſcripti; docent-

(*a*) De Gloria Martyr. c. 6.

(*b*) Hiſtor. l. 1. c. 18. Ambr. de obitu Theod.

(*c*) In Chizouk Emounah.

(*d*) Joan. XI. 41.

centque Veteres, hunc ab Helena repertum eſse, a Cruce ſejunctum (*a*). Hanc ſententiam cum legiſsent Judæi, rogaverunt Præſidem, ut ipſam mutaret, ſubſtitueretque: *Jeſus Nazarenus, qui ſe dicebat Regem Judæorum*. At renuit Pilàtus, addiditque: Quod ſcripſi, ratum eſto: Deo ita permittente, ut Jeſus vel moriens, & in Cruce pendens, ab ipſis hoſtibus & accuſatoribus Rex diceretur. Veſtes Jeſu Chriſti quatuor illis militibus, qui a ſe crucifixum, ne quiſquam ad illum deponendum accederet, cuſtodiebant, de more cedentes, quatuor in partes diviſæ fuerunt, ut ſinguli ſingulas haberent. Pallium hic plerique agnoſcunt, quod cum eſset quadratum, & ſatis amplum, in quatuor partes ſcindi poterat, quin partes inutiles remanerent. Tunicam autem inconſutilem non dividendam, ſed ſortis arbitrio committendam voluerunt, quippe cujus partes uſui nulli eſsent futuræ. Quamobrem ſortiti ſunt, quis illam haberet. Stetit tunc fides illi vaticinio: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem* (*b*). Quæ tunicæ hujus elaborandæ ratio fuerit, non una eſt opinio. Illam acu conſutam quidam cenſent; alii compoſitam volunt ex duplici panno ſimul juncto non ſutura, ſed textura. Nonnulli in eamdem rem quoddam latentis ſuturæ genus adhibent, quæ non appareat. Non deſunt qui eam elaboratam malint eodem artificio, quo apud nos lanei pileo-

(*a*) Ambroſ. de obitu c. 7. Theodor. Rufin. l. 1. Hiſt. (*b*) Pſal. xxi. 19.

leoli. At Braunius contendit, veſtem illam ad textrinam fuiſse confectam (*a*). Hujus generis tunica, ſuturarum expers, corpus totum velabat, in ſuperiori tantum parte, veluti ore quodam patens, qua caput inſereretur. Fertur, Jeſu Chriſti tunicam ab ipſa Virgine illius parente fuiſse contextam. Olim profecto feminæ telas veſteſque tum in ſuos ipſarum, tum in viri filiorumque uſus conficiebant.

III. Non defuerunt, qui munus Chriſtum crucifigendi Brutiis, ſive Calabris attribuerint, quippe qui in pœnam ſuæ ad Annibalem defectionis, e militum albo diſpuncti, ad infligenda reis ſupplicia deſtinati fuerint, ut refert Gellius ex quodam Catonis fragmento (*b*). Sed gratis conceſſis, quæ ſcribit Gellius, quomodo probaretur, Brutios in ea pœna uſque ad Chriſti tempora perſeveraſſe, & ad omnes Romani Imperii Provincias, etiam remotas, ipſos ſolos ad infame illud officium miſſos fuiſſe? Evangelium ſane Chriſti tortores Milites vocat, non Carnifices. Adeat, qui plura deſiderat, Perimezium, Poliſichium, Sandinum, Acetium, Polidorum, Berti. *Brutii non fuerunt Chriſti tortores.*

IV. Principes, Sacerdotes, Populus, quin & duo latrones e crucibus pendentes, Criſto inſultabunt. Varia autem erant, quæ illi objiciebant: *Si filius Dei es, ſalva ſemetipſum: Vah qui deſtruis Templum Dei, & in tribus diebus reædificas: Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: Alios ſalvos fecit, ſeipſum ſalvum* *Judæi Chriſto inſultant. Boni latronis pœnitentia.*

 faciat,

(*a*) De veſtib. Sacerd. Hebr. l. 1. c. 16.

(*b*) Gell. l. 10. c. 3. Baron. an. 34.

faciat, ſi poteſt. Ad latrones tamen quod ſpectat, quædam Evangeliſtarum varietas exercet Interpretes. Lucas enim unum tantum in Chriſtum blaſphemantem inducit; Matthæus vero & Marcus idem de ambobus affirmant (*a*). Quod alii per ſyllepſim explicant, cum ſcilicet de uno aliquo ita loquimur, velut de pluribus loqueremur (*b*). Credunt alii, ambos quidem a principio Chriſto inſultaſſe; ſed alterum vi gratiæ motum, reſipuiſſe (*c*). Quare converſo in alterius blaſphemias ſermone, ſe quidem, ait, illis cruciatibus dignos eſſe, Jeſum vero indigniſſimum; quem & oravit, ut cum primum in Regnum ſuum veniſſet, ſui non oblivifceretur. Cui Jeſus: *Hodie mecum eris in Paradiſo* (*d*). Nomine autem Paradiſi deſignare potuit locum quietis, ubi Sanctorum animæ Meſſiæ adventum opperiebantur, quo quidem Chriſtus eadem die poſt mortem deſcendit. Nonnulli Paradiſum terreſtrem malunt, Latronem Enocho & Eliæ ſociantes. Alii tandem præferunt Cælum ipſum, Beatis in altera vita deſtinatum, ubi Chriſtus ſua Divinitate nunquam non fuit (*e*). Sed quis credat, Latronem, quamvis probum, prius quam Chriſti Humanitas, Cælum tenuiſse? Quidam virgulam poſt illud *hodie* addiderunt, ut referret: *Dico tibi hodie: mecum eris in Paradi-*

radi-

(*a*) Luc. XXIII. 39. Matth. XXVII. 44. Marc. XV 32.

(*b*) Auguſt. Ambroſ. alii.

(*c*) Hieron. Origen. Athanaſ. Chryſoſt. alii.

(*d*) Luc. XXIII. 43.

(*e*) Auguſt. ſer. 187. nov. edit. n. 5. 6. 7.

radiſo. Sed fruſtra manus admoventur Textui Scripturæ, qui intactus licet commode explicatur. Latina & Græca Eccleſiæ boni Latronis memoriam colunt, illa die 25. Martii, iſta die 23. Sunt qui illum appellent Dimam, Diſmam, Giſmam, Matham, Titum, Urcimum; malum vero latronem, Dumachum, Geſtam, Jocam, Juſtinum. Evangelium Infantiæ Salvatoris refert, fugientem cum Jeſu & Maria Joſephum in Ægyptum incidiſſe in duos hoſce Latrones, e quibus alter in Peregrinorum necem ſe ſe accingebat, ſed a ſocio exhibita pecunia prohibitus eſt. Orante autem Maria pro liberatore, Jeſus prædixit, ambos quidem illos ſecum in crucem agendos eſſe, ſed alterum ex illis in Paradiſum recipiendum, alterum depellendum ad Inferos.

Chriſtus Matrem Joanni, Joannem Matri commendat.

V. Cum Jeſus Matrem ſuam juxta Crucem ſtantem, dignumque Dei Matris ſpectaculum conſtantiæ exhibentem vidiſſet, talibus eam, Joannem indicans, affatus eſt: *Mulier, ecce filius tuus.* Tum viciſſim ad Joannem, matrem deſignans: *Ecce mater tua.* Ex quo factum eſt, ut Diſcipulus ille Mariam Virginem apud ſe, & in domo ſua deinceps haberet (*a*).

Terra univerſa tenebris occupatur.

VI. Circa horam ſextam, nempe circa meridiem, Sol nigra caligine obductus eſt, affuſiſque tenebris trium horarum ſpatio *Terra univerſa* inhorruit (*b*); qua de re plura diſcutienda ſunt. Quidam contenderunt, tenebras illas puram putamque eclypſim fuiſſe, cui

(*a*) Joan. XIX. 25. (*b*) Matth. XXVII. 45.

rudes Chriſti Diſcipuli prodigii gloriam vindicarint. Verum cum Paſcha, plenilunio alligatum, tunc ageretur, nullus erat eclypſibus locus. Origenes aſſentientibus multis, hiſce tenebris occupatam fuiſſe putat dumtaxat Judæam, *univerſæ terræ* appellatione in Scriptura interdum deſignatam (*a*); qui confutantur a Cano, Huetio, Scheleſtratio, Tillemontio, Natali, aliiſque. Videtur nonnullis hemiſphærium dumtaxat noſtrum, vel magna illius pars tenebras ſenſiſſe. Africanus, Euſebius, & S. Hieronymus Phlegonem laudant Adriani Imperatoris libertum, qui Olympiade CCII. qua mortuus eſt Chriſtus, eclypſim Solis contigiſſe ſcribit, omnium maximam cum in ipſo meridie Stellæ in Cælo apparuerint. Addit, eodem ſimul tempore concuſſam fuiſſe vehementiſſimo terræmotu Bythiniam; quod cum aliis mortis Chriſti circumſtantiis convenire ſcimus (*b*). Tertullianus Ethnicos ad publicas tabulas provocat, ut noctem teterrimam pleno meridie exhibitam, moriente Chriſto, agnoſcant (*c*). Eadem refert Rufinus de Luciano Presbytero Antiocheno, anno 312. martyrio affecto: *Requirite*, dicebat Martyr, *in Annalibus veſtris: invenietis, temporibus Pilati, Chriſto patiente, fugato Sole, interruptam tenebris diem* (*d*). Thallum etiam vetuſtum ſcriptorem laudat Africanus

canus

(*a*) Origen. in Matth. in Chron. Maldon. Eraſm. Vatab. alii.

(*b*) African. apud Syncell. Euſeb. & Hieron.

(*c*) Tertull. Apolog. c. 21.

(*d*) Rufin. l. 9. c. 6.

canus velut tenebrarum harum teſtem. Denique Auctor, qui Dionyſii Areopagitæ nomen præfert, teſtatur, ſibi cum Heliopoli in Ægypto verſaretur, animadverſam eclypſim, quæ Chriſto patiente contigit; cumque ex Aſtronomiæ legibus eclypſim eo tempore contingere non poſſe ſciret, Apollophanem, quo cum una ſtudiis operam dabat, clamaſſe: *Hæc ſunt, bone Dionyſi, divinarum rerum mutationes* (*a*). Suidas ipſum Dionyſium hæc dixiſſe ſcribit: *Aut Divinitas patitur, aut patienti compatitur*. Diſſimulandum non eſt, poſtremas has auctoritates non omnibus probari; aliis tamen ſuffultæ intentum evincunt. Acta a Tertulliano & Luciano laudata fortaſſe literæ Pilati ſunt ad Tiberium de Chriſti morte datæ (*b*). Sunt tamen, qui putent Tertullianum & Lucianum ad Annales Phlegonis, & Thalli Hiſtoriam provocaſſe. Eclypſis a Phlegone memorata negotium quidem facit, cum nullæ tunc eclypſes, uti diximus, contingere potuerint. Fieri tamen potuit, ut in publicis monumentis Phlegon legens hiſtoriam tenebrarum ſub meridiem, nihil ultra diſcutiens, eclypſim reputaverit. Quare circumſtantia hæc, quæ imprudenti excidit, tanti facienda non eſt, ut rejiciendam totam illius hiſtoriam, teſtimonio Evangeliſtarum in reliquis omnibus convenientem, putemus.

VII. De ratione hujus maximi prodigii afferuntur ſententiæ. Prima tenet, interjectu Lu- *Quatuor de eo prodigio ſententiæ.*

(*a*) Epiſt. 7. ad Polycarpum.

(*b*) Vide hanc Hiſt. l. 14. c. 6. n. 19.

Lunæ Solis radios prohibitos, ne Terram conluſtrarent, ut in eclypſibus accidit. Verum, cum nulla tunc potuerit fieri naturalis eclypſis, ad eclypſim, quæ præter naturæ ordinem acciderit, recurrendum eſſet, dicendumque, locum, quem tunc tenebat, ſubito reliquiſſe Lunam, ſe ſeque Soli oppoſuiſſe; id quod longam prodigiorum ſeriem expoſcit. Altera ſententia ſtatuit, Solem radios in ſe ſuos lucemque recepiſſe, prohibito mortalibus lumine. Hæc tamen iis, quibus lumen ab ipſius Solis ſubſtantia non diſtinguitur, nec eſt quædam adſcititia qualitas, non tantum ſupra captum, ſed & impoſſibilia videntur. Tertia opino fert, denſæ alicujus nubis objectu prohibitis Solis radiis, ſubitis tenebris omnia inhorruiſſe. Sed qui fieri potuit, ut, re ita ſe ſe habente, tunc Stellæ apparuerint, quemadmodum ex Phlegone compertum habemus? Nubes enim, quæ Solis faciem, Stellarum quoque aſpectum prohibuiſſet. Præſtat igitur, ut quartam addamus ſententiam, dicamuſque, in Solis vortice tunc apparuiſſe cruſtas quaſdam, & opaca corpora, quæ illum obduxerint, quin tamen Stellas ſimul obtegerent. Regnantibus tenebris illis, credimus, mortales rebus ſuis negotiiſque vacaſſe, vicariam Solis lucem præſtantibus dubio lumine Stellis, ac ſolaribus quibuſdam igniculis, quos aer circumfuſus ebiberat. Tradunt quidam ſtatim poſt magnam illam Solis eclypſim divinitus factum, Lunam pariter defeciſſe, naturali tamen ordine, tribus circiter horis, dimidio Planetæ diſco obſcurato (*a*). Quam-

(*a*) Vide Toynard. Harmon. pag. 131.

Quamobrem eodem Chriſti morientis die Joelis vaticinii fides penitus impleta eſt: *A facie ejus contremuit Terra, moti ſunt Cæli, Sol & Luna obtenebrati ſunt* (*a*).

VIII. Circa horam nonam rareſcentibus tenebris, exclamavit Jeſus: *Eli*, *Eli*, ſive *Eloi*, *Eloi*, *lamma-ſabacthani*? hoc eſt, *Deus meus*, *Deus meus*, *ut quid dereliquiſti me* (*b*)? Deſperationem hic agnoſcit Calvinus; ſed perperam, impieque. Ex communi Patrum interpretatione, non ſui, ſed noſtrorum cauſa, & nomine clamat Jeſus, quorum criminibus debebatur juſtiſſima Dei derelictio; vel clamat nomine quidem ſuo, ſed qua homo eſt; humana enim ipſius natura in his circumſtantiis, quamvis divinæ naturæ eſſet unita, a protectione tamen Divinitatis derelicta videbatur. En tertia interpretatio, quam præeunte Cyrillo (*c*) ſequuntur Voſſius, Grotius, Glaſſius, Gotti, Berti, aliique. Non fuit querela, ſed quædam in hunc ſenſum deprecatio: Ut quid, Pater, hoſtium furori me permiſiſti? Nonne ut meo ſanguine placatus humano generi parceres? Pia igitur hæc tua voluntas fiat. Cum autem prædictum fuiſſet, Meſſiam ab inimicis aceto potandum: *In ſiti mea potaverunt me aceto* (*d*): huic adimplendæ prophetiæ exclamavit Jeſus, *Sitio*. Quidam igitur ex circumſtantibus, facile milites Romani vernaculi Hebræorum, ſive Syrorum ſermonis igna-

Chriſti ad Patrem querela. Aceto potatur.

(*a*) Joel. II. 10.

(*b*) Matth. XXVII. 46. Marc. XX. 34.

(*c*) Cyrill. l. 2. ad Reginas.

(*d*) Pſ. LXVIII. 19.

ignari, voces illas *Eloi*, *Eloi*, de Elia interpretati, appellatum ab illo Prophetam, ut ſibi opem ferret, autumarunt; unde & nonnulli: *Sinite*, dixerunt, *videamus*, *an veniat Elias*, *liberans eum*. Extinguendæ autem illius ſiti per fuſtem ex hyſſopo oblata eſt Chriſto ſpongia aceto madens, dictumque ſimul per ludibrium: *Si tu es Rex Judæorum*, *ſalvum te fac* (*a*). Credimus, Romanos milites, qui Chriſtum cuſtodiebant, cum ſe diu in monte futuros intelligerent, detuliſſe ſecum præter alia acetum, alio nomine poſcam (*b*), conſuetam ipſorum potionem, ſimulque comparaſſe ſpongiam, qua miſeris potum poſcentibus porrigerent.

Chriſtus obit. Prodigia quæ hanc mortem comitantur.

IX. Cum acetum Jeſus deguſtaſſet, emiſit vocem magnam, dixitque: *Conſummatum eſt*: quod plures ſenſus habere poteſt: Explevi omnia, quæ Pater imperavit: Satis illius Juſtitiæ feci: Quidquid Prophetæ prædixere, abſolvi: Munere meo functus ſum: E vita diſcedo. Ad Deum autem converſus: *Pater*, ait, *in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Statimque inclinato capite emiſit ſpiritum. Continuo velum Templi a ſummo uſque deorſum ſciſſum eſt. Duplex erat in Templo velum, alterum ad Sancti fores, alterum in Sancti Sanctorum aditu. Sancti velum ſciſſum putant Origenes & Hieronymus; at plerique Interpretes, Sancti Sanctorum, malunt. Veli ſciſſura docemur, æternæ beatitudinis iter Chriſti mor-

(*a*) Matth. XXVII. 48. Joan. XIX. 28.

(*b*) Calm. in Ruth II. 14.

morte reſerari; diſſipari Legis umbras, impleriquē Prophetarum figuras & vaticinia; verum Pontificem in ſecretiora Templi (*a*) peccatis omnium hominum expiandis intrare. Eodem ſimul tempore Terra ſubito horrore tremuit, hiſcere lapides viſi ſunt, monumenta patuerunt, e quibus nonnulli Sanctorum prodeuntes poſt Chriſti reſurrectionem Hieroſolymis ſe ſe multis exhibuere, de Salvatore redivivo teſtimonium ferentes luculentiſſimum. Tanta prodigia ſedulo animadvertens Centurio, militeſque ceteri, Chriſtum nèdum juſtum & ſanctum, ſed & Dei Filium palam profeſſi ſunt. Turbæ pariter e ſupplicii loco regredientes pectus ſuum in doloris argumentum tundebant (*b*). Aderant in monte præter Mariam Salvatoris Matrem, & Joannem Evangeliſtam, piæ quædam mulieres, inter quas nominantur quatuor. I. Maria Magdalene. II. Maria Jacobi, & Joſe, ſive Joſephi mater. III. Salome uxor Zebedæi, & mater Joannis Evangeliſtæ & Jacobi Majoris. IV. Maria Cleophæ. Porro Maria Magdalene & Maria Cleophæ prope Crucem ſtabant; aliæ vero a longe una cum nonnullis ex Chriſti Diſcipulis rem ſpectarunt. Vel, cum aliquamdiu prope Crucem ſtetiſſent, ad ceteras ſe recepere (*c*). Apoſtolos omnes, ſi Joannem excipias, timor adhuc occupabat. Non idem autem erat Diſcipulorum diſcrimen ac Apoſtolorum, ſi adfuiſ-

(*a*) Levit. xvi. 4. 46. Joan. xix. 29. Hebr. ix. 12.

(*b*) Matth. xxvii. 49. Marc. xv. 38. Luc. xxiii. 47. Matth. xxvii. 54. Marc. xv. 39. Luc. xxiii. 47.

(*c*) Joan. xix. 25.

fuiſſent; ii enim minus quam illi noſcebantur. Mulieribus nihil timendum.

De Chriſti latere ſanguis & aqua manant, Longinus. Lancea.

X. Rogantibus autem Judæis Pilatum, ne ſupplicii aſpectu Sabbati Religio quæ in ſextæ feriæ veſperis incipiebat, violari pateretur, imperavit Præſes, ut Jeſu, ſociorumque crura frangerentur, quo citius mori, atque e cruce removeri poſſent. Milites ergo utriuſque latronis crura fregerunt; a Jeſu autem, utpote jam mortuo, abſtinuere. Ex illis tamen quiſpiam Salvatoris latus lancea transfodit, illum confecturus, ſi adhuc ſpiraret. Dexterum ne an ſiniſtrum latus ferierit, diſputatur. Si numerum ſequare, plures pro dextero invenies Scriptores. S. Franciſcus Aſſiſias, ad Chriſti imitationem cælitus ſtigmatizatus, in dextero latere vulnus, teſte S. Bonaventura, accepit. Prudentius canit pectus Chriſti per latus utrumque fuiſſe perfoſſum; quod vix admitteretur (*a*). Apertum Chriſti latus aqua manavit, & ſanguine; ex quo mos in Myſteriorum conſecratione aquam vino miſcendi; qui tamen ex ipſa etiam Euchariſtiæ inſtitutione non male repeteretur (*b*). Audaces illi viri, qui hic prodigium negant, autumantes, aquam, quæ e Chriſti latere effluxit, nil aliud fuiſſe, quam pericardii humorem, duplici momento confutantur. Primo enim humor ille aqua dici nequit, cum bilioſus ſit, amarus ſapore, & colore ſubflavus. Deinde non manaſſet a ſanguine ſeparatus. Tunc geminæ impletæ ſunt Scripturæ: alte-

(*a*) Prudent. de Paſſione.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 14. c. 1. n. 9.

altera habet: *Os non comminuetis ex eo* (*a*); altera vero: *Videbunt, in quem transfixerunt* (*b*). De milite illo, qui latus Chriſti aperuit, plura feruntur. Longinum appellant. *Lonche* græce eſt lancea; ex quo facile primum Lonchinus, deinde vero Longinus. Scimus tamen, a Longo Longinum derivari, & plures id nominis apud Veteres Latinos obtinuiſſe. Illum, viſis prodigiis Chriſto moriente editis, ad fidem converſum aſſerunt, & in Cappadocia martyrio coronatum. Sunt qui hunc militem cum Centurione confundant, qui ad conſpectum eorumdem miraculorum de Chriſto exclamavit: *Vere Filius Dei erat iſte*. Alii diſtinguunt, atque Longinum utrumque appellant. Suus eſt ſane Græcis Longinus, ſuus Latinis; multaque de illius vita & obitu ab utriſque narrantur. Facile illud voluit Eccleſia, ut ſub Longini appellatione publicum exhiberet cultum Centurioni, qui Chriſtum confeſſus eſt; quin tamen probaret ea, quæ de Longini geſtis nonnulli Scriptores commenti ſunt (*c*). Beda florente, Lancea, qua apertum eſt Chriſti latus, Hieroſolymis colebatur. Antiochiam deinde translata, ibique revelante S. Andrea reperta, Hieroſolymis primum reſtituta eſt, poſtea Conſtantinopolim, dominantibus in Oriente Latinis, aſportata; cujus cuſpidem pro magna argenti vi Balduinus II. Imperator Venetis oppignoratus eſt. S. Ludovicus annuente Imperatore Reliquiam illam pretio redemit, detulit-

(*a*) Exod. XII. 46.
(*b*) Zachar. XII. 20.
(*c*) Calm. dict. v. *Longinus*.

tulitque in Galliam; & modo Pariſiis aſſervatur. Alteram Lanceæ partem poſt captam a Mahumeto II. Conſtantinopolim, Bajazethus ejus filius & ſucceſſor, inſtante Petro d'Aubuſſon Equitum S. Joannis Baptiſtæ Magiſtro ad Innocentium VIII. miſit, facile ne fratris ſui Zizimi, qui ad Chriſtianos confugerat, patrocinium ſuſciperet Pontifex; qui ad Portam Flaminiam acceptum ſacrum munus manibus ſuis ad Baſilicam Vaticanam geſtavit (*a*).

Corpus Chriſti e Cruce depoſitum, in ſepulcrum infertur.

XI. Inclinante die, Joſeph ab Arimathæa, diſcipulus Jeſu, & Senator ampliſſimus, omni poſito metu Pilatum adiit, concedi ſibi poſtulans corpus Jeſu, ut ante Solis occaſum tumulo inferret. Subſtitit aliquanto Pilatus, tam cito obiiſſe Chriſtum admiratus; ſed de illius morte deinde certior a Centurione factus, roganti facilis acquievit. Depoſuit itaque Joſeph e Cruce cadaver, & aromatibus conditum, tum & ſindone munda obvolutum, adſtrictumque inſtitis, ceu puerulum faſciis, ac capite ſudario velatum, tumulo intulit, quem ipſemet ſibi excidendum curaverat in horto non longe poſito, nulliſque hactenus uſibus addixerat. Ingenti tandem lapide ſepulcrum occluſit. Cui tamen pio officio ſociam adhibuit operam Nicodemus, alter Chriſti Diſcipulus, qui in eam rem centum circiter myrrhæ & aloes libras paraverat (*b*). Credimus idcirco ſacrum cadaver large perfuſum, madidiſque aro-

(*a*) Honorat. Animad. l. 5. diſſ. 5. ar. 5. Marc. xv. 40. Luc. xxiii. 50. Joan. xix. 31.
(*b*) Matth. xxvii. 57.

Digitized by Google

aromatum liquore linteis obvolutum fuiſſe, quod nec Joſephus, nec Nicodomeus ſperarent futurum, ut Chriſtus tertia die redivivus prodiret. Si hac enim fide credidiſſent, numquam condiendo Chriſti corpori tanto apparatu incubuiſſent. Piæ autem illæ mulieres, quæ Chriſtum jugiter comitatæ fuerant, locum ſedulo notarunt, volentes poſt exactam Sabbati religionem iterum ac ſtudioſius, quam Joſepho & Nicodemo licuerat, Chriſti cadaver condire (*a*).

XII. Expoſuerunt Pilato Principes Sacerdotum & Phariſæi, Jeſum, dum adhuc viveret, jactitaſſe, ſe poſt tridui ſepulturam in vivos rediturum; merito proinde ſuſpicari ſe, Diſcipulos cadaver illius ſuffuraturos, famamque Reſurrectionis ejus, non ſine ingenti Judaicæ Religionis diſcrimine, in vulgus ſparſuros; juberet ergo, ut ſepulcrum uſque in tertium diem cuſtodiretur. Reſpondit Pilatus, præſto illis eſſe milites, Templi cuſtodes, quos pro arbitrio ad ſepulcri cuſtodiam deſtinarent. Statuerunt igitur præ oſtio monumenti milites, lapidemque, quo occludebatur, ſuo, vel ut alii volunt, Pilati annulo obſignarunt (*b*). *Sepulcrum cuſtoditur.*

XIII. De tempore Reſurrectionis Sanctorum, quorum monumenta, cum Jeſus obiret, aperta ſunt, duplex eſt ſententia. Tenent enim alii, quos inter S. Jo. Chryſoſtomus, ſtatim illos poſt obitum Chriſti ad vitam rediiſſe; quemadmodum ſtatim poſt illius diſceſſum terræmotu concuſſa ſepulcra patuerunt. *Terra mota* *Quo tempore Sanctorum corpora reſurrexerunt.*

(*a*) Matth. XXVII. 61. Marc. XV. 47. Luc. XXIII. 55.

(*b*) Matth. XXVII. 62.

mota eſt, ſcribit S. Matthæus, *& monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt* (*a*). Nullum hic intervallum inter mortem Chriſti, monumentorum aperitionem, & Sanctorum reſurrectionem. Alii vero malunt, nonniſi poſt Chriſti reſurrectionem illos reſurrexiſſe, ut ſua veritas conſtet illis Pauli de Chriſto verbis: *Qui eſt primogenitus ex mortuis* (*b*). In hanc ſententiam conceſſere Origenes, Hieronymus, Gregorius Magnus, aliique multi maxime ex Latinis. Sanctorum tamen reſurrectio anticipatione quadam rerumque connexione monumentorum aperitioni potuit annecti, quamvis tempore ſatis diſtincto evenerint. Ita pariter non inepte diceremus, Chriſtum non tempore, ſed dignitate, primogenitum mortuorum fuiſſe; nam certo certius eſt, Lazarum alioſque nonnullos ante ipſum e mortuis ad vivos rediiſſe. Eſt igitur cur hic ambigui hæreamus.

Qui reſurrexerint? XIV. Horum, qui vitæ reſtitúti ſunt, nomina ignoramus. Sunt qui privilegium illud tributum cenſeant antiquiſſimis inter Patriarchas, ut qui longiorem traxerant ſperando in Chriſto moram, citius pariter ſentirent præſentiſſimam illius Redemptionis virtutem. Sunt, qui id collatum velint recentiſſimis, & maxime notis Judæis illis, qui tunc agebant in vivis. Reputant alii datum id tantum iis, quorum ſepulcra ſive Hieroſolymis, ſive in proximo erant conſtituta.

An iterum mortui ſint? XV. En alia quæſtio. Juſti illi ad vitam revo-

(*a*) Matth. XXVII. 52. (*b*) Coloſſ. I. 18.

revocati euntem in Cælum Chriſtum ſequuti ne ſunt, non anima tantum, ſed & corpore; an ſepulturæ iterum corpora illa reſtituta, ad novam communemque in fine Mundi reſurrectionem, reſervantur? De more alii hanc, alii illam ſententiam tenent. Tres illi Doctores, quos merito tres Thelogiæ columnas dixeris, Chryſoſtomus apud Græcos, Auguſtinus apud Latinos, & Thomas apud Scholaſticos, poſteriorem ſententiam tuentur (*a*), quibuſcum dicimus, viros illos Sanctos, qui corpus receperunt, ut de Chriſti reſurrectione fidem iis, quibus Hieroſolymæ erant apparituri, exhiberent, corpore ſine dolore ſtatim ac munere ſuo functi ſunt, depoſito, futuram corporum reſurrectionem, non ſecus ac nos, operiri. Profecto ſi quis vivens corpus ſuum in Cælum illaturus fuiſſet una cum Chriſto, nemo ſane Davidi, & Joanni Baptiſtæ præferendus videretur. Porro Petrus luculenter aſſerit, ſepulcrum Davidis adhuc ſpectari, eumdemque reſurrectionem Jeſu Chriſti, non ſuam, prænuntiaſse (*b*). Quæ, rogo, vis eſset hujus argumenti, ſi David revocatus ad vitam una cum Chriſto in Cælum aſcendiſset? Sacra Joannis Baptiſtæ lypſana, & ſepulcrum non tantum culta, ſed & oſtenſa, nemo ignorat. Neuter igitur ad vitam immortalem revocatus fuit. His autem revincitur & Pſeudo-Juſtinus, docens, Sanctos illos ad vitam quidem rediiſſe

(*a*) Chryſoſt. hom. 40. q. 53. ar. 3. in 1. Cor. 15. Auguſt. ep. ad Evodium. Thom. 3. p.

(*b*) Act. 11. 29.

ſe numquam deinceps ponendam, non tamen cæleſti felicitate donatos: quemadmodum Henoch & Elias ſuperſtites quidem adhuc ſunt, ſed nondum perfecta beatitudine potiti (*a*).

Quid apud Inferos egerit Chriſtus?

XVI. Anima igitur Chriſti poſt mortem ad inferos deſcendit, ibique piorum animas inviſens, de comparata illis libertate & æterna beatitudine certiores fecit. Redux denique ad corpus, ſecum illas eduxit, ducturus pariter ſecum Aſcenſionis tempore ad Cælum, ut eſt Catholicorum ſententia. Ex illis nonnullas tunc facile corporibus reſtituit, Revocati ad vitam homines illi cum Chriſto in terra fuere, multis etiam ſe ſe exhibentes per quadraginta illos dies, qui Chriſti Reſurrectionem conſecuti ſunt (*b*). Iidem poſito iterum corpore, ut dicebamus, ad Cælum Triumphantis comites aſcenderunt. Petrus ad Judæos verba aliquando faciens, ait de Chriſto: *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus Inferni* (*c*). Cave credas cum Calvino, Chriſtum ita ad Infernum penetraſse, ut damnatorum pœnas ſubierit; ſive beatam illius animam mæſtos traxiſse dies, quod viduatam ſe corpore doleret, qui nonnullorum error fuit. Dolores Inferni deſignare poſsunt non pœnas ibi a Jeſu toleratas, ſed illas, a quibus exemptus fuit; veluti cum fera venatorum laqueis ſoluta dicitur, quos aliquis, antequam ea capiatur, fregit. Alii dictum exponunt de doloribus, quibus Chriſtus Sanctorum animas exemit, dum ſecum illas edu-

(*a*) AdOrtodoxos q.85.
(*b*) Matth. XXVII. 52.
(*c*) Act. II. 24.

eduxit. Licet enim quietos animæ illæ dies agerent, dulci futurorum bonorum ſpe lactatæ, neſcio quid tamen moleſti pati poterant, abſentiam ejus, quod optabant, boni tolerantes. Syrus ita legit: *Solutis mortis funibus*. Deus ſane Chriſtum ſuſcitans, vincula, ſive inſtitas, quibus tamquam funibus alligabatur, diſſolvit. Infernus tandem, ſive mors veluti feta Jeſu Chriſto, enitendi doloribus ab ipſo Jeſu Chriſti obitu correpta, nonniſi in illius Reſurrectione iis ſoluta fuit. Difficiliora adhuc ſunt ea, quæ idem Petrus alibi habet de eodem Chriſto: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu: in quo & his qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe* (*a*). Communis interpretatio fert, Chriſtum nedum animæ ſuæ præſentia deſcendiſſe in locum, quo Juſtorum animæ ipſius adventum expectabant, illiſque propriam ipſorum libertatem nuntiaſſe; ſed per virtutem Divinitatis, a qua revocatus eſt ad vitam, penetraſſe etiam damnatorum carcerem, eoſque increpaſſe, qui Noe prædicatione ſpreta, in ſua incredulitate mortui fuerant. Alii carceris nomine Purgatorium intelligere malunt, rati, Chriſtum piorum animabus, quæ ibi ſuas eluebant ſordes, lætum de vicina ipſarum liberatione attuliſſe nuntium. Auguſtinus interpretatur hunc locum de prædicatione facta a Chriſto Spiritu Divinitatis incredulis tempore Noe, dum in carcere corporis

(*a*) 1. Petr. III. 18.

adhuc detinerentur (*a*). Aliqui carcerem explicant de ignorantiæ tenebris, quibus Gentiles obvolvebantur (*b*). Chriſtus ſane illis diſſipandis Diſcipulos ſuos inſtruxit Spiritu, oneravitque mandato, ut in univerſum Mundum Evangelium deferrent. Porro idemet Chriſtus, qui afflavit Apoſtolos, afflaverat & Noemum, ut incredulis, eo tempore ſuperſtitibus, pœnitentiam prædicaret. Cenſuere Veteres quidam, Chriſtum ad Infernum delapſum quoſdam minus impios, quamvis in infidelitate mortuos, ſua prædicatione ad Fidem reduxiſſe, & Baptiſmo expiaſſe, puta Platonem, Socratem, & nonnullos, ex illis qui Noe aures præbere recuſarunt (*c*). Verum nos tenemus, apud Inferos nullam eſſe ſalutem. Ad hæc, ſi Chriſtus aliquibus apud Inferos Fidem perſuaſit, cur non omnibus, cum æque omnes tormentorum vi ſe erraſſe in confeſſo habeant? Removerentur ambages omnes, ſi illorum opinionem amplecteremur, qui docent, aliquos ex incredulis, audita Noe prædicatione, vel ſaltem viſo Diluvio, reſipuiſſe; quos una cum Patriarchis e tenebricoſo illo carcere Chriſtus eduxerit (*d*).

Pia

(*a*) Epiſt. ad Evod. 99. alios 164.

(*b*) Heſſel. Vorſt. Grot. Hamm.

(*c*) S. Iren. Herm. Menoch. Cornel. Clem. Alex. Origen. Vide hanc Hiſtor. l. 1. c. 9. n. 1. & l. 15. c. 11. n. 3.

(*d*) S. Hieron. Eſt. Tir.

Piæ mulieres ad monumentum venientes, diſcunt ab Angelo Chriſtum reſurrexiſſe. Forma ſepulcri. Diſcipulorum dubium. Judæi Chriſti cadaver furto ſublatum ſpargunt. Plures Chriſti apparitiones. Variæ de S. Joannis Evangeliſtæ obitu opiniones. Chriſti ad Cælum. Aſcenſio.

CAP. V.

I. MAria Magdalene, Maria Joſephi & Jacobi mater, Joanna, Salome mater filiorum Zebedæi, aliæque piæ mulieres quietum ex Legis præſcripto Sabbatum egerunt. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati* (*a*), hoc eſt, abſoluta Sabbati religione, atque prima hebdomadæ die in veſpere ejuſdem Sabbati, quando ſcilicet ſtellæ exoriuntur (*b*), ſive quando de Judæorum more lucernæ accenduntur, ineunte, aromata ſibi emenda ſumpſerunt, ut primo alterius diei diluculo venientes ad ſepulcrum, Chriſti cadaver condirent (*c*). Ante auroram igitur itinere ſuſcepto, quod clam id fieri cuperent, invicem quærebant, qui lapis ab oſtio monumenti removeretur? Gravior enim erat, quam ut a mulieribus tractaretur. De militum autem cuſtodia nihil erant ſollicitæ, quod ibi poſitos fuiſſe ignorarent. Dum irent, ingens terræ concuſſio inſonuit; ſimulque Angelus e Cælo lapſus monumenti lapidem removit.

ANNO MUNDI 4033. Chriſti 33. Æræ Vulgaris 29.

Mulieres ad monumentum veniunt. Chriſtus reſurgit. Angelus lapidem removet.

O 2 Cen-

(*a*) Matth. XXVIII. 1. Luc. XXIII. 56.
(*b*) Vide Luc. XXIII. 54.
(*c*) Marc. XVI. 1.

Cenſent nonnulli, tunc Chriſtum reſurrexiſſe, vel quam minimo antea; alii ipſum noctis dimidium præferunt; pauci ipſius initium. Certum autem eſt, Chriſtum minime indiguiſſe ut Angelus ſibi reſurgenti ſepulcrum aperiret; quin communis opinio docet, Chriſtum e ſepulcro ita egreſſum fuiſſe, uti e matris utero prodiit, immoto ſcilicet lapide, integroque ſigillo. Ut quid ergo Angelus lapidem removit? Ut aperto ſepulcro locus fieret piis mulieribus videndi Chriſtum revera reſurrexiſſe. Porro Angelus ſuper lapidem illum ſedens eo terrore milites ſepulcri cuſtodes perculit, ut protinus dilapſi fugam arripuerint (*a*). Viſi tunc & deinceps Hieroſolymæ multi ex mortuis, qui reaſſumptis corporibus Chriſti Reſurrectionem multis teſtabantur (*b*).

Angelus mulieres Reſurrectionis nuntias ad Diſcipulos mittit.

II. Cum jam Sol ortus eſſet, venientes mulieres, in ſepulcri veſtibulum ingreſſæ ſunt; cumque lapidem, quo aditus claudebatur, everſum inſpicerent, ſecretiora adeuntes, Chriſti corpus non invenerunt. Illis de ea re hæſitantibus duo Angeli, alter ad caput, alter ad pedes loculi, in quo Chriſti corpus jacuerat, apparuerunt humana ſpecie, candido amictu, vultu rutilanti; quorum aſpectu attonitæ illæ, paventeſque magis hæſerunt. Alter ex illis feminas confirmaturus annuntiavit, Chriſtum, quem quæſitum venerant, e mortuis ad vitam revocatum, ſepulcrum vacuum reliquiſſe, ſicut ipſe prædixerat; invitavitque ut propius factæ inſpicerent locum ubi poſitus fuerat. Man-

(*a*) Matth. XXVIII. 2. (*b*) Matth. XXVII. 53.

Mandavit deinde, irent continuo ad Diſcipulos; præſertim vero ad Petrum, lætiſſimum Reſurrectionis Jeſu Chriſti nuntium laturæ, certioreſque illos facerent, futurum ut ipſorum in Galilæam regreſſum Chriſtus præcedat, videndumque ſe ſe illic præbeat. Imperata facturæ mulieres e ſepulcro egreſſæ, ſtupore ſimul & gaudio plenæ, iter Hieroſolymam verſus ſuſceperunt, quin quicquam de viſis auditiſque cuiquam, dum pergerent, aperirent (*a*).

III. Maria Magdalene, quantum credimus, ſtatim ac ſepulcrum vacuum vidit, moræ impatiens, ſociis relictis, ad Apoſtolos præcurrerat; cumque Angelum de Chriſti reſurrectione teſtantem non audiiſſet, illius cadaver, ut ipſa quidem rebatur, furto ſublatum, neque ſcire ſe quid de illo actum eſſet, nuntiavit. Petrus & Joannes ſtatim ad ſepulcrum convolarunt, ut rei veritatem perciperent; quo & Magdalene citiſſime regreſſa eſt. Ad locum Joannes, cum eſſet junior, primus quidem pervenit, intima tamen ſepulcri primus non penetravit; ſed contentus vidiſſe per os illius inſtitas, quibus Corpus Chriſti obvolutum fuerat, Petro ceſſit, ſive metu, ſive obſequio. Quare alter ingreſſus diligentius ſcrutaturus, nil niſi eadem linteamina, & ſudarium faciei, ſeorſim ab illis poſitum, invenit. Poſt Petrum ingreſſus & Joannes; qui rei evidentia victus, fidem quidem Mariæ verbis habuit, cadaver nempe non apparere; at Chriſtum reſurrexiſſe

Petrus & Joannes currunt ad ſepulcrum.

(*a*) Marc. XVI. 5. Matth. XXVIII. 5. Luc. XXIV. 5.

non credidit, quod Scriptura ea de re Apoſtolis ſatis non eſſet aperta (*a*). Sæpiſſime ſane Chriſtus ſe ſe reſurrecturum dixerat; ſed Diſcipuli ad temporale Chriſti Regnum, juxta vulgarem Judæorum opinionem, omnia detorquebant. Petrus & Joannes, ut rei a ſe viſæ ſocios monerent, Hieroſolymam rediere (*b*).

Prima Chriſti apparitio Mariæ Magdalene facta.

IV. Maria Magdalene Apoſtolis conſtantior ad ſepulcrum immota perſeverabat, curis agitata, & lacrymis madens. Inclinato autem corpore, ut inſpiceret intra ſepulcri ſpecum cujus oſtium humillimum erat, duos ad utrumque monumenti extremum aſſidentes Angelos intuita eſt; cumque ab eis quid ploraret, interrogaretur, conqueri ſe, reſpondit, ſublatum, nec ſcire quo, Præceptoris ſui cadaver. Converſa ſimul retrorſum, vidit ante ſe Jeſum, qui hortulani ſpecie aſſumpta, quid lugeret, quidve quæreret, interrogavit. Illa viciſſim percontata eſt, an defuncti corpus, & quonam ſuſtuliſſet? Tunc Jeſus illam proprio ipſius nomine, Mariam ſcilicet, appellavit; ex quo illa Præceptorem agnoſcens, ad pedes illius oſculatura ſtatim procubuit. Cui Jeſus: *Noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum*; hoc eſt: Nondum abeo; ne tangere me feſtines: commodius facere licebit. Alii ita interpretantur: Me ne tangas uti mortalem, neu mortalium more benevolentiam mihi teſteris; nondum quidem ad Patrem aſcendi; at brevi ſum aſcenſurus, fide ac ſpiritualibus

(*a*) Joan. xx. 9. Vide Calm. ibid.

(*b*) Joan. xx. 1.

libus obſequiis proſequendus. Juſſit deinde ad fratres ſuos, Apoſtolos ſcilicet, referre, ſe jam jam ad ſuum, ipſorumque Deum ac Patrem eſſe recipiendum. Statim igitur ad Apoſtolos ſe conferens, omnia quæ viderat, & audierat, narravit (*a*). Verum illi mærore occupati, Mariæ verbis fidem minime adhibuere, cenſentes, narrata eſſe feminæ, fauſta imaginantis, ſomnium. Ita plane Maria omnium prima e mortuis regreſſum Salvatorem meruit videre.

Altera Chriſti apparitio piis mulieribus facta.


V. Dum Maria Magdalene cum Apoſtolis verba miſceret, Jeſus ſpectandum ſe præbuit aliis piis feminis e ſepulcro regredientibus; a quibus adoratus, bono eſſent animo, juſſit, monerentque Apoſtolos, ut in Galilæam de more poſt celebratum Paſcha reverterentur, ubi ſe illos præſentia ſua dignaturum ſpoponderat (*b*). Hieroſolymam regreſſæ, omnia narrarunt Apoſtolis; qui tamen veluti viſiones venditantes rejecerunt. Tum Petrus ad ſepulcrum iterum ſe conferens, non ſecus ac prius poſita linteamina ſpectavit.

Schema Sepulcri. Primum veſtibulum.

VI. Ut Reſurrectionis hiſtoriam planius teneas, inſpiciendum eſt ſchema ſepulcri in quo Chriſtus jacuit. Illud vero ex Itinerariis a Calmeto ita deſcribitur. Locus eſt oblongo quadratus, in rupe exciſus, ad fores Orientem ſpectans, A. duas habet partes ſimul junctas, quarum altera E veſtibuli loco eſt alteri F. Prima pedes novem porrigitur longitudine, ab Oriente in Occidentem, A, B; totidemque

(*a*) Joan. xx. 11. (*b*) Matth. xxviii. 9.

latitudine, a Meridie in Septemtrionem, D, C. Porta ad Orientem converſa vulgaris amplitudinis eſt, ſex vel ſeptem pedes altitudine. Primo hoc in ſpecu Angelus ſe ſe cuſtodibus exhibuit, ſuper lapidem ſedens, K, quo lapide clauſæ fuerant ſepulcri fores, I, quemve ne removere poſſent, piæ mulieres verebantur.



Alterum veſtibulum. VII. Altera ſepulcri pars, ad quam per veſtibulum mox deſcriptum itur, ſpelunca eſt, F, pedum ſex longitudine ab Oriente in Occidentem, & in ima parte pedibus ſex patens, Occidentem verſus; ad Orientem vero, ubi fores ſunt, pedibus quinque & dimidio. Altitudo

tudo pedum circiter octo eſt. Fores I anguſtæ ſunt, pedibus tribus, duobus pollicibus & dimidio altæ, pede uno & pollicibus decem latæ. Parietum craſſities pede uno & ſeptem pollicibus. Claudebatur lapide, totum illarum ſpatium occupante; cui additum erat annuli ſignum a Sacerdotibus.

VIII. Ad dextrum ingredientis latus eſt ſepulcrum G, quo conditum erat Chriſti cadaver; pedibus ſex longum, uti reliquum ſpecus; tribus latum, Occidentem verſus, quo converſi erant Chriſti pedes; ac tribus cum dimidio ad Orientem, ubi jacebat caput. A ſolo aſſurgit duos pedes & pollices quinque. Ibi viſi ſunt gemini Angeli, alter ad ſepulcri caput, alter ad pedes. Maria Magdalena ſe ſe inclinaſſe dicitur, ut ſepulcrum introſpiceret (*a*); cum enim in priore ſepulcri veſtibulo eſſet, curvandum erat corpus, ut per ſepulcri fores humillimas, uti diximus, intueretur. Porro Chriſti ſepulcrum Hadrianus prophanare conatus eſt, ſtatua Jovis ibi erecta, quemadmodum Veneris in loco Crucifixionis, & Adonidis in ſpecu, ubi Chriſtus natus eſt. Verum Conſtantinus inquiſitum ſepulcri locum ab Ethnicorum ſordibus repurgavit, ibique Templum extruxit; acceſſit autem cura & pietas Helenæ Auguſtæ, qua agente Fideles ad ſacrum illum locum venerandum affluebant. Hunc Chriſtianorum concurſum interrupit Choſroes Perſarum Rex, qui anno Chriſti 615. Hieroſolymam cepit, & Crucem Domini ab-

Sepulcrū. Hujus vices deſcribuntur.

(*a*) Joan. xx. 2.

abduxit; quæ tamen poſt decennium reddita eſt a Siroe, qui patre Choſroe cæſo, cum Heraclio pacem iniit. Verum anno circiter *636.* Saraceni Hieroſolyma denuo capta ſepulcrum Domini uſque ad ſæculi undecimi finem tenuerunt. Tunc Chriſtiani occidentales Duce Bullione Terram Sanctam recuperarunt, poſſederuntque per centum fere annos; quo elapſo tempore Saladinus Ægypti Sultanus in poteſtatem redacta Hieroſolyma, ægre nonnullos Chriſtianos ibi reliquit. Chriſti ſepulcrum a multis ſæculis Fratres Minores, de Obſervantia dicti, ſub Turcarum jugo cuſtodiunt.

Judæorum calumnia. IX. Nonnulli ex militibus, quibus ſepulcri cuſtodia credita fuerat, Hieroſolymam venientes, quæ ſibi contigiſſent, omnia expoſuerunt. Sacerdotes de re tota deliberaturi coegerunt concilium, ſtatueruntque, ut ingenti pecuniarum vi corrupti milites, ſublato a Diſcipulis cadaver, dum ipſi dormirent, ſpargerent in vulgus. Polliciti autem ſunt illis, ejus rei periculum, ſi quid ipſis immineret a Præſide, utpote qui munus ſuum fide non integra obiiſſent, totum in ſe ſuſcepturos. Falſus iſte rumor, ait S. Matthæus, hodie uſque apud Judæos perſeverat, perſuaſum habentes, corpus Jeſu Chriſti a Diſcipulis ſublatum evanuiſſe (*a*). Narrat S. Juſtinus, Judæorum proceres, hac de re literas ad omnes ubique terrarum gentes dediſſe (*b*). Paria etiam apud Euſebium

(*a*) Matth. XXVIII. 11.

(*b*) Juſtin. Dialog. cum Tryph.

bium & S. Hieronymum invenias (*a*); eoque ſpectant falſa Jeſu Chriſti Acta ab ipſis Judæis conſcripta, ubi narratur, Judam quemdam Sacerdotem, ſuſpicatum, ne clam a Diſcipulis Chriſti cadaver ſurriperetur, ſpargeretur que dein illius e mortuis reditus, in alveo rivi cujuſdam, cujus alio diverterat aquas, condidiſſe; tum permiſſæ aquæ priſtinum curſum reſumere, ne quis uſpiam de loco ejus ſepulturæ cognoſceret. Sed fruſtra ille; brevi enim de reſurrectione Jeſu rumor increbuit. Verum impoſturam prolato ejus corpore raptatoque ad caudam equi Judas detexit. Hæc fabuloſa & impia illa narratio (*b*). Nullum autem ſtultius a Judæis dari potuit militibus conſilium, quam ut ea teſtarentur, quæ ipſis dormientibus contigere. Hinc Auguſtinus his militem cuſtodem premit. *Si vigilabas, quare permiſiſti? Si dormiebas, unde ſciſti* (*c*)? Profecto quam abeſt a vero, Diſcipulos, homines imbecilles, trepidos, advenas, rudes, inermes, auſos fuiſſe cadaver a ſepulcro auferre, foribus lapideis probe clauſo, annulo obſignato, & armatorum militum præſidio munito? Linteamina, inſtitæ, ſudarium, quibus corpus obvolvebatur, in ſepulcro reperta, nonne luculenter oſtendunt, furto illud nequaquam ablatum fuiſſe? Fures certe cadaver illis involucris non ſolviſſent, omnem devitantes moram, ne interim cuſtodes experrecti, rem ſen-

(*a*) Uterque in Iſa. v. *Jeſu*.
(*b*) Vide Calm. dict. XXXVI. ſerm. 2.
(*c*) Auguſt. in Pſal. XVIII. I.

ſentirent. Ad hæc, ii qui tanto cum diſcrimine cadaver Chriſti ſurripuiſſe dicuntur, tanto ne ſtudio, tantaque conſtantia ſecretum ſervare potuiſſent, ut a nullo ipſorum violaretur, ipſique mortem alacri animo ſubiiſſent, ut Chriſtum ſurrexiſſe, conſcientia reluctante, defenderent?

Tertia Chriſti apparitio duobus diſcipulis facta.

X. Eadem Reſurrectionis die, nocte jam ſubeunte, bini ex Diſcipulis Hieroſolyma digreſſi, in Galilæam revertebantur, quorum alter ignoratur, alter Cleophas dicebatur, crediturque fuiſſe vir Mariæ, Jacobi Minoris matris. Cum autem Emmaus, locum 60. ſtadiis ab urbe diſſitum, appropinquarent, viæ tædium mutuis colloquiis de rebus, quæ per eos dies Hieroſolymis de Chriſto acciderant, levabant. Inter loquendum ſupervenit Jeſus, peregrini ſpeciem præſeferens, tertiuſque euntibus accedens quæſivit, quos invicem ſermones miſcerent. Cleophas mirari ſe dixit, illum unum advenam Hieroſolymis fuiſse, qui neſciret, quid eo dierum ſpatio ibi contigerit. Ecquænam? ait Jeſus. De Jeſu Nazareno, ambo reſponderunt, qui cum Propheta eſset, plurimumque opere & ſermone, Deo coram & hominibus valeret, a Principibus Sacerdotum & Magiſtratibus ſupplicio ſublatus eſt. Porro nos ſperabamus, gentem noſtram illius ope ſubductum iri alienorum imperio, atque in priſtinam libertatem revocatum. Verum cum tertia jam dies ab ejus obitu elabatur, & ipſe de reſurgendo fidem ſuam nondum liberaverit, quid ex eo ſperandum ſupereſt? Teſtantur qui-

dem nonnullæ mulieres, ſpectatos ſibi Angelos, ſeque ab eis doctas, Jeſum a mortuis ſurrexiſſe. Quidam etiam ex Apoſtolis ad monumentum profecti, corpore vacuum, non ſecus ac mulieres affirmarant, invenerunt (*a*). His verbis oſtenditur, illos Diſcipulos errore laboraſſe ceteris Judæis communi de temporali Meſſiæ Imperio. Patet etiam, eos omnem de illius Reſurrectione ſpem poſuiſſe; vel ſaltem publicam omnibuſque manifeſtam Chriſti Reſurrectionem expectaſſe, atque ita glorioſam, uti illius mors probroſa fuit, omnibuſque notiſſima. Sed mors Chriſti peracta eſt in corpore adhuc habente naturam paſſibilem, quæ communi lege omnibus eſt manifeſta; Reſurrectio viciſſim in corpore natura impaſſibili prædito, quæ omnibus manifeſtari non debet (*b*). Exprobravit autem Jeſus illorum cum fidei imbecillitatem, tum ingenii tarditatem, qua minime intelligerent, quicquid geſtum erat, id prædixiſſe Prophetas; productiſque e Scriptura teſtimoniis demonſtravit, oportuiſſe Chriſtum pati, & ita gloriæ ſuæ compotem fieri. Cum ad Emmaus perveniſſent, & Jeſus iter ſuum proſequi videretur, cogentibus Diſcipulis, & nocte jam adventante, ibidem ſubſtitit. Menſæ deinde accumbentibus omnibus, Jeſus panem a ſe antea benedictum, ſive euchariſticus ille fuerit, ſive communis, diſtribuit; quo tempore Diſcipulorum oculi aperti ſunt, ut illum agnoſcerent. Sed quo indicio? Quod

(*a*) Luc. XXIV. 13. 55. ár. 1.
(*b*) S. Thom. 3. p. q.

Quod Domini partes egerit, panem diſtribuens? Quod propius oris Magiſtri lineamentis ipſum agnoverint? Quod peculiaris illi eſſet benedicendi formula? Quod in vultu ipſius quid luminis emicuerit? Quod gratia intimuſque Spiritus ſancti fulgor mentes illorum colluſtraverit? Utcumque habuerit ſe ſe res, ſtatim ac Chriſtus agnitus eſt, evanuit. Stupuerunt illi & mirabantur, quod citius non cognoverint, cum illum divina prorſus vi & eloquentia differentem audirent.

Quarta Chriſti apparitio Petro facta.

XI. Gemini illi diſcipuli Hieroſolymam actutum regreſſi, totius rei certiores fecerunt Apoſtolos, qui omnes, ſi unum Thomam excipias, ſimul coiverant. Hi autem binis illis diſcipulis apparitionem Simoni factam viciſſim expoſuerunt, licet non crederent (*a*). Quæ vehementer optas, iis ægre fidem adhibes. Simonem hunc fuiſſe Petrum, una eſt pene omnium vox; colligiturque ex Paulo: *Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim* (*b*). Quando autem, & ubi hæc apparitio contigerit, ignoratur.

Quinta Chriſti apparitio Apoſtolorum Collegio facta. Facultas dimittendi peccata.

XII. Apoſtolis adhuc congregatis, eodem Reſurrectionis die, Jeſus clauſis aulæ, in qua degebant, foribus apparuit, pacem omnibus annuntians. Subito aſpectu, tanquam ad ſpectrum aliquod turbari omnes; ſed mox ab eo confirmati, jubentur manus pedeſque ſuos, illis jam notos, intueri, ſimulque explorare, carnem ſe habere pariter & oſſa, certiſſimum cor-

(*a*) Luc. XXIV. 34. Marc. XVI. 13.

(*b*) I. Cor. XV. 4.

corporis argumentum. Cumque incredulitatem, ſive metum ab illorum cordibus non adhuc excuſſum intelligeret, cibi aliquid, ſi quid haberent, poſtulavit. Oblatum piſcis aſſi portionem & mellis favum palam guſtavit, reliquiaſque illis porrexit. Iterum autem pacem annuntians: *Sicut miſit me*, inquit, *Pater*, *&* *ego mitto vos*; hoc eſt: Auctoritatem potentiamque meam vobiſcum communico. His dictis, inſufflavit in illos, aitque: *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt* (*a*). Patres, Concilia, omneſque Catholici Interpretes iſta explicant de vera poteſtate, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus facta, ut per Pœnitentiæ Sacramentum peccata dimittant, ſive retineant, juxta ac chriſtianæ prudentiæ & caritatis leges præſcribunt. Heterodoxi quidam ajunt, uſurpari hæc verba poſſe de pellendorum morborum & Dæmonum poteſtate, reorumque corporeis ſuppliciis plectendorum, atque arcendi contumaces ab Eccleſiæ communione. Minime ego negaverim, hanc etiam poteſtatem a Chriſto Apoſtolis datam. Altera alteram non excludit. Hinc Chriſtus, cum ægrotos curaret, interdum ajebat: *Remittuntur tibi peccata tua* (*b*). Ceterum nullus occurrit Scripturæ locus, quo poteſtas curandi morbos, poteſtate dimittendi peccata ſignificetur. Quare hujus loci ſententiam ad unum Heterodoxorum ſenſum adigere non

(*a*) Luc. XXIV. 36. Joan. XX. 19.

(*b*) Matth. IX. 2. Luc. V. 10.

non poſſumus, quin Chriſti verba peſſime diſtorqueamus.

An apparuerit etiam matri ſuæ?

XIII. In ipſa Reſurrectionis die quinquies Jeſus ſpectandum ſe præbuit; primo Mariæ Magdalenæ, ſecundo aliis piis mulieribus, tertio duobus diſcipulis in Emmaus, quarto Simoni, ſcilicet Petro, quinto Apoſtolis in unum congregatis. Credimus etiam, ipſum apparuiſſe, & facile omnium primo, B. Virgini, Matri ſuæ, licet de hac apparitione nihil habeant Evangeliſtæ, quorum intentum erat eas tantum apparitiones recenſere, quæ factæ fuerunt illis quos Chriſtus deſtinarat, ut ceteris reſurrectionem ſuam nuntiarent; ex quibus ſane non erat B. Virgo, quod matris teſtimonium pro filio ſuſpectum ſoleat reputari. Docent nonnulli, Chriſtum non apparuiſſe ſubito Matri, quod ſciret, illam in fide Reſurrectionis minime vacillaſſe (*a*). Sed hinc non infertur, quod ſaltem ſucceſſu temporis illi non apparuerit, ut ipſam conſolaretur (*b*).

Sexta Chriſti apparitio facta Apoſtolis Thoma præſente.

XIV. Cum Chriſtus Apoſtolorum cœtum viſitaret, aberat Thomas, qui illis Jeſum a ſe viſum narrantibus, fidem ſe numquam eorum ſermonibus habiturum dixit, niſi digitis ipſe ſuis vulnera clavorum in manibus, tum & latus ipſius exploraret. Quare poſt dies octo Apoſtolis una cum Thoma, occluſis cœnaculi foribus, apparuit, mediuſque illorum ſtans, pacem omnibus apprecatus eſt. Converſus deinde ad Thomam, ut nihil ſe latere, quæque ſe

(*a*) Eſt. Heſſel. Janſen. Bleſenſ.

(*b*) Gotti de vera Relig. c. 36. §. 1.

ſe abſente gererentur, noſſe demonſtraret, juſſit, digitos in manuum vulnera, manum vero in lateris hiatum inferre, atque ab incredulitate reſipiſcere. Cui Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*. Brevis quidem, ſed omnium, quæ in Evangelio legantur, luculentiſſima confeſſio, qua Jeſus Chriſtus expreſſe Deus appellatur, quod nemo antea fecerat, licet plures verbis idem continentibus uſi ſint. Tunc Jeſus: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti. Beati qui non viderunt & crediderunt* (*a*).

Septima Chriſti apparitio Diſcipulis facta ad Mare Tiberiadis.

XV. Cum Apoſtoli in Galilæam rediiſſent, ad Mare Tiberiadis Jeſum viderunt. Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus, Joannes, & alii duo ex Diſcipulis in littore verſabantur, cum Petrus ſe piſcatum ire dixit; ituros ſe pariter & alii dixerunt. Quare conſcenſo navigio, tota nocte jaciendis recipiendiſque retibus laborarunt; fruſtra tamen. Mane alterius diei Jeſus in littore apparens, quæſivit, num piſcatu aliquid apprehendiſſent? Reſpondentibus illis incaſſum ſe laboraſſe, præcepit Jeſus ut ad dexteram navigii rete laxarent; quod ab illis factum tantum piſcationis attulit, quantum retia ſine ſciſſione non paterentur. Ex præſtito mox prodigio Joannes attentior factus Jeſum agnovit, agnitumque Petro indicavit. Petrus nudus erat; quamobrem ſtatim ac Jeſum vidit, veſte præcinxit ſe, inque aquas deſcendit, ut ad illum citius quam navicula perveniret. Socii interim reducendis retibus allaborabant, quæ 150. magnis piſcibus plena, & quod

(*a*) Joan. xx. 24.

quod mirum eſt, non reſciſſa, recepta ſunt. Cum omnes ad littus perveniſſent, ex piſcibus aliquid afferri Jeſus præcepit; ſed cum attuliſſent, prunis impoſitum piſcem, atque panem offenderunt; quæ ſimul cum Jeſu omnes deguſtarunt, nemine interim ipſum, quis eſſet, interrogare audente, cum Jeſum eſſe compertum haberent (*a*). Sed unde ille piſcis, & panis? Statim ne creati? An delati ab Angelis? Vel denique ex aere aliave materia Chriſti virtute compacta? Omnia incerta præter prodigium, quod ſane certum eſt.

Chriſtus Petrum gregis ſui Paſtorem conſtituit, eique violentam mortem prædicit.

XVI. Poſt deguſtatum cibum interrogavit Jeſus Petrum, an ſe plus ceteris amaret? Affirmanti in hæc verba: *Tu ſcis, Domine, quia amo te*: Jeſus: *Paſce*, ait, *agnos meos*. Eadem iterum interrogavit Jeſus, eademque iterum alteri reſpondenti, eadem Jeſus injunxit. Tertio tandem eadem interrogatione pulſatus Petrus, veritus eſt, ne poſt multas amoris expreſſiones, prædiceret Chriſtus, quemadmodum in Paſſionis nocte, ipſum amori defuturum, ubi diſcrimen immineret. Reſpondit tamen: *Domine, tu noſti omnia; tu ſcis, quia amo te*. Et Jeſus: *Paſce ove meas*. Quibus verbis Petrum Eccleſiæ ſuæ, Gregiſque Caput, Paſtorem, ac Principem conſtituit, ſtetitque promiſſis olim illi factis: *Tibi dabo claves Regni Cælorum* (*b*). Martyrium deinde, quod illum manebat, deſignans, dixit: Cum junior eſſes, accingebas te, uti ſolent itinerantes, ac pro libito huc illucque diſcurrebas; cum autem

(*a*) Joan. XXI. 1. (*b*) Matth. XVI. 18.

tem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, ducetque quo non vis. His dictis, ſurrexit Chriſtus, recedenſque inde; *Sequere*, ait, *me*. Quo facto innuit Chriſtus, futurum ut Petrus ſe ſe ad crucis martyrium ſequeretur. Paruit illico Petrus, Jeſum præeuntem ſecutus. Cumque interim Joannem pariter pone ſequentem vidiſſet, ac ſi & illi dicta fuiſſent illa verba: *Sequere me*; rogavit Jeſum, quid de illo diſpoſuiſſet? Cui Jeſus: *Sic* (alii legunt, *ſi*; nonnulli, *ſi ſic*) *eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me ſequere*. Rumor ex his verbis inter Diſcipulos ſparſus, Joannem e mortis lege eximendum. Jeſus tamen, monet idem Joannes, non dixit: *Non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam* (*a*).

Variæ de obitu S. Joannis Evangeliſtæ opiniones.

XVII. De obitu S. Joannis Evangeliſtæ, deque hujus textus intelligentia non conveniunt Scriptores. Cenſent igitur nonnulli, Joannem e terris, quemadmodum olim Enoch & Elias, translatum eſſe, ut in ſæculorum fine iterum pareat in Mundum, cum Antichriſto decertaturus. Alii malunt, Joannem obiiſſe quidem, ſed ſtatim ad vitam reſtitutum, ut, nuntiata adverſus Antichriſtum fide, iterum occumbat. Quidam tandem putant, in tumulo adhuc ſuperſtitem Apoſtolum condi, ex eoque quemdam jugiter ſuo flatu pulverem propellere, extrema Judicii die proditurum. Opinionem, quæ Joannem adhuc vivere tenet, adoptavit, & in ſuum Officium

 tran-

(*a*) Joan. XXI. 15.

tranſtulit Græca noviſſimæ hujus ætatis Eccleſia. Fatendum tamen eſt, contrariam ſententiam de obitu, atque ſepultura Joannis in Urbe Epheſo ſpectari in Scriptoribus fere omnibus, qua Latinis, qua Græcis, ſaltem vetuſtis (*a*); eamque ipſemet Joannes firmaſſe videtur, dum falſam interpretationem, quam Diſcipuli verbis Chriſti Domini adhibebant, numquam ſcilicet interiturum Apoſtolum, refellit. Forte verborum illorum hic eſt ſenſus: Nolo, ut Joannes ſocius tibi ſit in martyrio; quare diutius in vivis aget, donec veniam hora qua decrevi illum placida morte ad me vocandum. Non enim Petrus interrogavit, eſſetne Joannes moriturus, necne, ſed quo genere mortis tollendus eſſet. Alii verbis illis innui cenſent, non prius moriturum Apoſtolum, quam divinam de interfectoribus Magiſtri ſui ultionem ipſe ſpectaret (*b*). Profecto ejus mors ſub Trajano contigit, multis ſcilicet annis poſt Hieroſolymorum ruinam, diſperſionemque Judæorum. Credimus autem, Joannis virginitati, ac amori, quo ipſum Chriſtus proſequebatur, datum, ut vitam ceteris Apoſtolis diutius protraheret, felicique ſenectute ita occumberet, ut ſe ne mori quidem ſentiret. Nec aliud præ oculis habuiſſe Hieronymum, putandum eſt, cum quodam ingenii æſtro, ac panegyrico enthuſiaſmo raptus in Virginitatis laudes, citatis præfatis Chriſti ver-

(*a*) Polycrat. Iren. Hieron. alii. Tertull. Origen. Alex. (*b*) Vide Calmeti de Concil. Epheſ. Auguſt. eo argum. diſſert.

verbis ſcripſit: *Ex quo oſtenditur, Virginitatem non mori, nec ſordes nuptiarum ablui cruore Martyrii; ſed manere cum Chriſto, & dormitionem ejus tranſitum eſſe, non Martyrium* (*a*).

Octava Chriſti apparitio 500. Fidelibus facta in quodam Galilææ monte.

XVIII. Congregatis deinde Apoſtolis juxta ac Angelus præceperat in quemdam Galilææ montem, quem nonnulli Thabor credunt, Jeſus ſe ſe ſpectandum præbuit. Qua occaſione apparuiſſe illum cœtui pluſquam 500. fratrum, quorum plures vitam adhuc agebant, cum S. Paulus primam ad Corinthios epiſtolam daret, autumamus (*b*). Viſum igitur Magiſtrum omnes adorarunt. Dubitarunt tamen nonnulli, non quidem ex Apoſtolis, quantum videtur, ſed ex diſcipulis, num verum corpus, ſpectrum illud, quod coram cernebant, haberet; reſurrexiſſe tamen Jeſum, ne ambigebatur quidem. Supremam autem ſibi ineſſe in Cælo, Terraque poteſtatem aſſeverans, juſſit, ut prædicationis atque baptiſmatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti gratiam longe lateque per Orbem diffunderent; ſeque ab illis numquam receſſurum pollicitus eſt.

Nona Chriſti apparitio Diſcipulis Hieroſolymis facta.

XIX. Appropinquante ſacro Pentecoſtes die, Apoſtoli Hieroſolymam petiere (*c*), cumque decem circiter dies ante illam ſolemnitatem menſæ accumberent, Chriſtum coram habuerunt conſpicuum. Huc facile ſpectat illud Pauli: *Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omni-*

(*a*) Hieron. in Jovin. l. 6. c. 14.

(*b*) Matth. XXVIII. 16. XVI. 14. 1. ad Cor. XV. 5.

(*c*) Auguſt. Gregor. Beda apud Calm. in Marc.

mnibus (*a*). Jeſus autem Apoſtolos objurgavit, quod multis, ſuam Reſurrectionem aſſerentibus, fidem ſtatim non exhibuerint. Præcepto iterum illos oneravit, ut Evangelium omnibus prædicarent, annuntiarentque, nemini Fide & Baptiſmo non initiato ſperandam eſſe ſalutem. Prædixit, fideles ſuos ea virtute valituros, ut invocato Jeſu nomine Dæmones e corporibus pellant, linguis loquantur ignotis, ſerpentes tractent impune, nulloque noxæ metu venena bibant, ac infirmos ſolo manus tactu curent. Aperuit illis germanum Scripturarum ſenſum, docuitque ea quæ geſta ſunt, cum Moyſe, Prophetis, & Pſalmis adamuſſim convenire; expletam in ſe uno eſſe illorum fidem; eaque ut expleretur, neceſſe fuiſſe Chriſtum pati, ac tertia die a mortuis reſurgere. Monuit pariter, ut integra Scripturararum oraculis fides ſervaretur, opus adhuc eſſe pœnitentiam omnibus hominibus annuntiari, non Judæis modo, verum etiam Ethnicis, facto initio ab Hieroſolymis, prolataque per univerſum Orbem prædicatione. Ut autem, adjecit, ad munera vobis decreta vos comparem, voſque in præconum ac teſtium veritatis, omniumque quæ geſſerim, labore conſtantes efficiam, Patris mei nomine Spiritum ſanctum emittam, a quo illuſtrandi eſtis, docendique omnem veritatem. Joannes enim diſcipulos ſuos aquæ baptiſmo tinxit; ſed vos mihi abluendi eſtis novo quodam lavacri genere, multiplici nempe Spiritus ſancti virtute.

(*a*) 1. ad Cor. xv. 5.

te. Cavete autem ne ab urbe diſcedatis, donec per illius in vos illapſum expletam promiſſorum fidem cernatis. Sciſcitantibus autem illis, conſuetum errorem non adhuc exutis, dies ne tandem adveniſſet, quo Regnum Iſraeliticum, depulſo exterorum Imperio, reſtitueretur? inane hoc ſciendi ſtudium coercuit, docens, plura eſſe quæ Pater cæleſtis ſibi uni agnoſcenda reſervavit; nihil propterea curioſius quærerent, contenti, poſt acceptum Spiritum, omnibus qua Judæis, qua Samaritanis, quin & uſque ad extremos Terræ terminos ſibi teſtimonium ferre, atque Evangelium annuntiare (*a*).

Decima & ultima Chriſti apparitio, quando ſcilicet ad Cælum aſcendit.

XX. Poſtquam quadraginta dierum ſpatium inſtruendis Diſcipulis ſuis Jeſus, e mortuis redivivus, impendiſſet, multaque ad Dei Regnum, Eccleſiam ſcilicet, & futuram in Cælis Beatitudinem, expoſuiſſet, illos extra Hieruſalem, Bethaniam uſque, ſupremum fortaſſe vale Lazaro, ejuſque ſororibus Marthæ & Mariæ dicturus, adduxit, conſcenſoque Olivarum monte, ac elatis in ſublime oculis, aſtantes omnes benedixit. Senſim deinde ſe ſe in aera attollens, ad Cælum aſcendit, proſequentibus intuitu Apoſtolis, quoad lucidæ nubis incurſu aſpectibus intuentium ablatus, evanuit. Animadvertere licet, contrario modo ſe habuiſſe Reſurrectionem & Aſcenſionem, nam hæc a pluribus viſa eſt, illa vero a nemine; quod tamen ſapientiſſime factum eſt. Nam per Reſurrectionem Chriſtus reddebatur viſibilis.

(*a*) Marc. XVI. 14. Luc. XXIV. 44. Act. I. I. & X. 41.

lis, & videndus erat ab Apoſtolis; quod ſatis erat, ut poſſent de ea ferre teſtimonium; per Aſcenſionem vero ſubtrahebatur ab Apoſtolorum intuitu; quare niſi eum aſcendentem vidiſſent, non potuiſſent de ipſius in Cælum aſcenſu teſtificari. Fertur, convivium cum Apoſtolis celebraſſe, antequam aſcenderet, in quodam ejuſdem montis Olivarum ſpecu, ibique arcana myſteria illis revelaſſe (*a*). Vulgatum eſt etiam apud Antiquos, pedum Chriſti aſcendentis veſtigia alte in terra impreſſa permanſiſſe, nec temporis edacitate, aut pia fidelium devotione, aliquid ſemper abradente, umquam deleta (*b*). Non deſunt etiam qui tradant, Helenam Imperatricem, Templum inſigne in loco Aſcenſionis erexiſſe; numquam tamen fieri potuiſſe, ut pavimentum ſuper eum locum ſterneretur, quo veſtigia Chriſti cernebantur (*c*). Quod quidem prodigium ipſe Caſaubonus negare non audet (*d*). Addunt inſuper, eam ſoli partem ſub dio extare, quod ædificium in ea parte concamerari nullo artificio potuerit. Interpretum quidam putarunt, nubem, quæ Dominum obvolvit, nihil fuiſſe præter lucem, qua illius corpus micabat. Quærunt nonnulli, apparuerit ne Chriſtus poſt Reſurrectionem nudus, an veſtibus indutus? Veſtitum nos malumus, nec umbraculum nubis, dum

(*a*) Euſeb. vita Conſtant. l. 3. c. 43.

(*b*) Hieron. Auguſtin. Paulin.

(*c*) Euſeb. Optat. Milevit. Sever. Sulp.

(*d*) Exercit. 16. in Baron. Gotti de vera Relig. l. 37. §. 4.

dum in Cælum aſcenderet, niſi veſtitum ſubiiſſe (*a*). Jeſus Terram cum Cælo commutavit die Jovis, ut fert vetus traditio, & conſuetudo Eccleſiæ Feſtum Aſcenſionis feria quinta celebrantis. Diſcipuli viam a Chriſto ſignatam adhuc ſuſpiciebant, cum duo Angeli obviam facti, illos monuerunt, Jeſum eo habitu certa die in Mundum rediturum, quo ipſum modo in Cælum aſcendere viderant. Veterum ſane plures cenſuerunt futurum ut Chriſtus toto Divinitatis apparatu palam ſe exhibeat in vertice Oliveti, cum ad Judicium venerit, coram circumfuſa ad montis radices in valle Joſaphat mortalium turba. Poſt hæc, Apoſtoli Hieruſalem venientes, in eadem ſimul domo manſerunt, jugibus vacantes orationibus, una cum Maria Matre Jeſu, ceteriſque illius neceſſariis, donec ſuperno Spiritus ſancti die Pentecoſtes illapſu, promiſſo cælitus munere donati ſunt (*b*). Hic Evangelicæ Hiſtoriæ, & Jeſu Chriſti Actorum finis. Si tamen prodigia a Chriſto patrata tam fuſe deſcriberentur, quam res poſtularet, tot exarandi eſsent libri, quot Mundum univerſum complerent. Hac hyperbole Evangelium ſuum claudit S. Joannes.

Evan-

(*a*) Vide Calmetum Dict. v. *Aſcenſio*, & in Luc. xxiv. 49. Act. 1. 1. 2. Acta Apoſtol. 1. 9.

(*b*) Marc. xvi. 19.

Evangeliſtæ aliorum perſuaſione Opera ſua literis mandant. Matthæus Hebraico ſermone utitur, Marcus facile Latino, Lucas & Joannes Græco. Evangelia Nazaræorum, & Ebionitarum. Utrum S. Joannes inter Platonicos ſit recenſendus? Variæ de Flavii Joſephi teſtimonio ſententiæ. Acta Pilati.

CAP. VI.

Chriſtus nihil de ſcribendo Evangelio juſſit.

I. MOyſes, qui nomine Dei Legem Judæis dedit, Legem ipſam idem literis mandavit. Chriſtus vero nihil ipſe per ſe poſteritati ſcripſit, ſi Epiſtolam ad Abagarum excipias, de qua tamen multi dubitant (*a*). Contentus voce populos ſive pro concione, ſive privatis colloquiis inſtituiſse, eoſque ad rectam vivendi normam ſuis exemplis deduxiſſe, cetera neglexit; neque vitam ſuam, aut doctrinam ut Diſcipuli ſcriberent, umquam præcepit. Miſsurum ſe nihilominus inviſibilem Præceptorem ſpopondit, quo interius docente & veritates ipſi diſcerent omnes, & quæ maxime quiſque prædicare, & facere teneretur, pro nata quacumque occaſione illos inſtrueret (*b*). Cujus promiſſionis fidem impleturus, Spiritum ſanctum in Apoſtolos die Pentecoſtes effudit.

Diſcipuli aliorum perſuaſione Evangelium ſcribunt.

II. Diſcipuli Præceptoris ſui exempla ſequuti docendos ſibi viva tantum voce ab exordio populos

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 12. c. 1. n. 6.

(*b*) Joan. XIV. 26. & XVI. 13.

pulos ſuſceperunt. Succeſſu vero temporis pium Fidelium ſtudium ab illis tandem extorſit, ut quæcumque voce auſcultaſsent, hæc literis mandata legerent; quod cum illi præſtitiſſent, Operi inditum eſt nomen Evangelium, ſcilicet *Bonum nuntium*. Jure autem optimo nomen illud de Hiſtoria vitæ, doctrinæ, miraculorum Jeſu Chriſti uſurpatur: quid enim melius, jucundiuſque homines audire potuerint?

S. Matthæus inter Evangeliſtas primus.

III. S. Matthæus omnium primus Evangelio ſcribendo manum admovit. Scripſit autem illud quo tempore diſceſsum e Judæa meditabatur, ut in deſtinatam ſibi regionem contenderet. Cum enim Fideles Palæſtinæ, ut traditam ſibi doctrinam ſcripto colligeret, Matthæum oraſſent, morem ille geſſit (*a*). Nonnulli inter Patres tradunt, precibus Fidelium ſuas etiam Apoſtolos addidiſſe (*b*). Quidam Opus illud ſuſceptum volunt circa tertium, vel quartum annum a Chriſti Reſurrectione (*c*); ſed alii antiquiores & frequentiores circa octavum malunt (*d*); eamque temporis adſcriptionem in Operis calce vetera omnia Græca manuſcripta ſervant.

Evangelium S. Matthæi hebraice primo ſcriptum fuit, quod Nazaræi, & Ebionitæ corruperunt.

IV. Veteres omnes tradidere, S. Matthæum hebraice, ſive potius vernaculo tunc temporis apud Hebræos ſermone ſyriace Evangelium

(*a*) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 24. Chryſoſt. hom. 1. in Matth. Iren. l. 3. c. 1. Hieron. de viris illuſtr.

(*b*) Euſeb. Iren.

(*c*) Baron. Cornel. a Lapide.

(*d*) Athan. Theophyl. Niceph. Euſeb.

lium ſuum ſcripſiſſe. Annuunt & Recentiores, ſi nonnullos intemperantioris critices ſectatores excipias, qui putant, Evangelium illud Græcis literis primo vulgatum fuiſſe (*a*). Sed quid tandem contra communem ſententiam proferunt? I. Origenes, Epiphanius, Hieronymus non ſatis in ea re ſibi conſtant; quamquam enim Hebraicum Matthæi Evangelium laudent, non eam tamen auctoritatem illi tribuunt, qualem debuiſſent, ſi Originale credidiſſent. Eodem ſpectat, quod Hebraicum Matthæi exemplar nullibi appareat; quæ enim exemplaria curantibus Munſtero, & Tilleto excuſa ſunt, ex Latino, ſive Græco prodiere. An autem adeo ſegnes fuiſſent Fideles in Originali ſervando, ut prorſus intercidere paterentur? II. Si S. Matthæus hebraice ſcripſit, cur in ejus Evangelio Græca Hebræorum nominum interpretatio? Quorſum Scripturæ teſtimonia ex Septuaginta ibidem laudantur? III. Græcum idioma tunc temporis in Palæſtina, totoque Oriente; quin & in omni Romano Imperio, ipſaque urbe Roma obtinebat. Nonne alii Evangeliſtæ, ceterique novi Teſtamenti Scriptores græce ſcripſerunt? His reponimus, Hebraicum Matthæi exemplar ab exordio integrum fuiſſe, purum, ſacrum; deinde vero nonnullis additionibus minoris momenti interpolatum. Hujus interpolationis ſpecimen aliquod exhibemus. Juvenis, cui Chriſtus dixerat: *Vade, & vende omnia quæ habes:* ex hoc

(*a*) Eraſm. Cajet. Calvin. Beza, Ligtfoot. Cler. Fraſſen, alii.

hoc Evangelio, abiit caput ſibi ſcalpens (*a*). Idem hanc ſententiam referebat: *Qui admiratus fuerit, regnabit, & qui regnabit, requieſcet* (*b*). Porro hæc a Nazaræis, Chriſtianis ſcilicet Hebraizantibus, addita creduntur; ipſi vero ab Apoſtolis, ſive prioribus Diſcipulis facile ea hauſerant. Hinc creata apud ceteros Fideles in Evangelium illud ſuſpicio. Semel autem aperto interpolandi Textum aditu, Ebionitæ, Secta ex Nazaræis orta, addere plurima, atque detrahere, uti maxime erroribus ſuis adverſus Jeſu Chriſti Divinitatem, & B.Mariæ Virginitatem conducebat, auſi ſunt. Ne vero Opus ſuum a quoquam dignoſceretur, dolique mali convincerentur, perſonatum titulum, nomenque addiderunt, appellantes, *Evangelium duodecim Apoſtolorum*, *Evangelium S. Petri* &c. Hinc factum eſt, ut idem Evangelium hebraice ſcriptum, varias viciſſitudines ſubiens, a Patribus apud S. Matthæum laudatum fuerit, apud Nazaræos toleratum, apud Ebionitas damnatum. Non eſt igitur, cur miremur, ſi Hebraicum hujus Evangelii exemplar noſtra ætate omnino interciderit, cum illud interpolari ſtatim ab initio contigerit. Ebionitarum vero fraude corruptum, cum nullis Catholicorum uſibus prodeſſet, negligi ab Eccleſia jure meritoque par fuit. Plus aliquid curæ in ſervando Nazaræorum Evangelio adhibitum fuit. Hinc S. Hieronymus teſtatur, Codicem quemdam S. Matthæi, vel ſecundum Hebræos præ

(*a*) Orig. in Matth. hom. 1.

(*b*) Clem. Alex. l. 1. & l. 5.

præ manibus habuiſſe, quamvis tantiſper interpolatum, eumque Græcis, Latiniſque literis reddidiſſe (*a*). Verum cum Nazaræi eſsent rari, ac paulatim in Hæreticorum cenſum cœperint adſcribi, quod Legis cæremoniis plus nimio adhærerent, tandem factum eſt, ut & ipſi cum ſuo Evangelio evaneſcerent. Rari pariter erant Catholici, qui exemplar illud Hebræum intelligerent. Græcum maluerunt, cujus auctoritas erat aſſerta, nulliſque additionibus maculata, utpote quæ ex puro probatæque fidei, quale ex Evangeliſtæ manibus exiit, Autographo derivata dignoſcebatur. Idem dicas & de Latina Verſione. Porro Græca Verſio, quæ nunc extat, atque Originalis locum tenet, vetuſtiſſima eſt, ita ut quidam illam tribuant S. Jacobo Hieroſolymorum Epiſcopo, alii S. Joanni Evangeliſtæ, alii S. Paulo, S. Lucæ, S. Barnabæ; alii denique ipſi S. Matthæo, quaſi ſcilicet Opus ſuum Hebraicis Græciſque literis ſimul conſignarit. Alias adverſariorum objectiones ita confutamus. Hebraica nomina græce in Evangelii Matthæi explicata, argumento ſunt apertiſſimo, Verſionem Græcam ex Originali Hebræo fuiſse adornatam. Falſum autem eſt, teſtimonia Scripturæ ex Septuaginta in eodem Evangelio laudari, cum potius ex Hebræo decerpta ſint, ut notavit etiam S. Hieronymus (*b*). Tandem quamvis Græcæ linguæ uſus fere ubique obtineret, vul-

(*a*) Hieron. in Catalog. v. *Matthæus*, & v. *Jacobus*, & in Matth. XII.

(*b*) Hieron. in Catal. v. *Matthæus*.

vulgo tamen Judæi Hebræo uti ſolebant; quem ſane etiam Chriſtum uſurpaſſe ex eo colligimus, quod plura ejus verba hebraice prolata in Evangelio ſuperſint; quæ quidem, quantum apparet, nequaquam præter morem ab eo dicta fuerunt. At alii Chriſti Diſcipuli græce ſcripſerunt. Fateor. Ergone & S. Matthæus? Nego, negationiſque teſtes adhibeo omnes Antiquos, potiſſimum vero Origenem, Euſebium, Epiphanium, & Hieronymum, qui Opus illud conſuluerunt (*a*).

Ordo chronologicus, quem ſequitur S. Matthæus, non omnibus probatur.

V. Si Evangelium S. Matthæi cum aliis conferatur, rerum geſtarum ſeries aliter apud illum, atque apud ceteros digeſta invenitur, a capite IV. 22. uſque ad caput XIV. 13. Quæ ſane diſcrepantia Interpretes torquet, eoſque inter ſe ſe committit. Facilius tamen unus ordinem invertiſſe, quam tres, crederetur.

S. Marcus.

VI. Ex collatione duorum Evangeliorum S. Matthæi, & S. Marci, hic alterius Hiſtoriam in compendium redegiſſe videtur, nonnullis adjectis, quæ ipſe ex propria ſcientia, vel ex aliorum relatione haberet explorata; neque enim certum omnino eſt, ipſum ex 70. Chriſti Diſcipulis fuiſſe, ut illius acta videre, ſive dicta audire potuerit. Fert igitur communis opinio, pium Fidelium ſtudium Romæ commorantium ab illo obtinuiſſe, ut quæcumque a Petro, quem eo ſecutus fuerat, audiiſſet, hæc literis mandata vulgaret; cumque Petrus, rem

(*a*) Vide Calm. Proleg. in Matthæum. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 10. & l. 3. c. 25. Epiph. Hær. 29. Origen. hom. 28. in Matth. Hieron. ibid.

rem omnem intellexiſſet, Diſcipulum laudaſſe, ſimulque probatum Evangelium, legendum per Eccleſias veluti authenticum, & canonicum tradidiſſe (*a*). Tertullianus tamen Opus illud S. Petro adſcribit, ejuſque ore dictatum narrat Pſeudo-Athanaſius, quin & ipſius manu exaratum tradit Eutychius Patriarcha Alexandrinus. Nonnulli ſcriptum quidem volunt a S. Marco, ſed in Ægypto, non vero Romæ. Alii tandem poſt mortem S. Petri compoſitum ferunt, quæ diverſæ de eadem re ſententiæ nihil certi de tempore & loco, quo ſcriptum ſit Evangelium illud, definiri poſſe demonſtrant. De idiomate pariter non liquet; ſunt enim qui Græcum, ſunt qui Latinum malint; ſed Latino favendum eſſet, ſi quidem Romæ, & pro Romanis ſcriptum cenſeatur. Folia quædam Venetiis ſervantur Originalis S. Marci manu, uti ferunt, deſcripti. Codex eſt nonnullis ex papyro Ægyptia, aliis membranaceus, ceteris bombycinus. Hi græce ſcriptum, illi latine, ſuſtinent; nec deſunt, qui teſtentur, Codicis vetuſtate characteres adeo obliteratos eſſe, ut ne una quidem literula diſcernatur (*b*).

S. Lucas. VII. Quid S. Lucam ad ſcribendum Evangelium impulerit, ex ipſius verbis non ſatis colligitur. Ingens falſorum Evangeliorum numerus a primo Eccleſiæ ſæculo confictus eſt. Fa-

(*a*) Clem: Alex. apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 15. Epiphan. Hær. 51. Nazian. car. 34. & orat. 25. Hieron. de viris illius.

(*b*) Calm. Proleg. in S. Marcum.

facile ut his fides detraheretur, Opus ſuum ſuſcepit. Forte plures de vita & doctrina Jeſu Chriſti libros in vulgus ſpargi animadverterat, in quibus non quidem fides, ſed ſolertia deſideraretur; quamobrem operæ pretium ſe facturum cenſuit, ſi limatius aliquid traderet. Fortaſſe etiam minime damnans incuriæ alteriuſve cujuſpiam vitii eos, qui ante ſcripſerant, hoc ſolummodo voluit, ut illos in ſcribendo imitaretur. Ut ut res habuerit ſe ſe, in certos rumores dubiaſque narrationes minime collegit, ſed eos conſuluit, a quibus, utpote Verbi miniſtris, rerumque a Chriſto geſtarum teſtibus, certiſſime doceri poterat (*a*). Quamquam S. Paulus nullum per ſe Evangelium ſcripſerit, ſæpe tamen provocat ad Evangelium ſuum, *Secundum Evangelium meum*, vel inſinuans Evangelium Jeſu Chriſti, quod *non ab homine, ſed per revelationem Jeſu Chriſti acceperat* (*b*), vel Evangelium S. Lucæ, quod a ſe potiſſimum S. Lucæ dictatum fuerit, vel ſaltem de ſuo conſilio ita ſcriptum ab Evangeliſta, ut ſimul ſcribenti operam ſuam conferret; vel tandem id ſcripſerit S. Lucas, quod ab ore Pauli prædicantis didicerat (*c*). Lucas tamen ſibi ea in re Paulum aliquid contuliſſe, nullibi meminit. Communis perſuaſio vult, Lucam poſt Matthæum & Marcum ſuum ſcripſiſſe Evangelium, illorumque Opera in ſuo digerendo præ oculis habuiſſe. Quare ſi aliorum narrationes corrigere voluit, id profecto ad Matthæum & Marcum referendum non eſt.

(*a*) Luc. 1. 1. 2.
(*b*) Galat. 1. 12.
(*c*) Iren. l. 3. c. 1. Nazian. Orat. 3.

Quæ Lucas habet de geſtis B. Virginis, ejuſque colloquio cum Angelo, ac profectione ad ſalutandam S. Eliſabetham, ſatis innuunt, illum familiari ejuſdem Virginis conſuetudine uſum fuiſſe, unde plura de rebus ipſius diſcere potuit. De loco ambigitur, an ſcilicet Romæ, vel Alexandriæ, ſive in Achaja ſcriptum fuerit. Tempus etiam & idioma controvertitur. Recepta tamen & melior ſententia tenet, Græcis literis, & in Achaja, circa annum Jeſu Chriſti 53. Opus digeſtum fuiſſe. Sat convenit, Lucam puriori Græco eloquio, quam Evangeliſtas ceteros, fluere; cumque laudet Scripturæ teſtimonia juxta Septuaginta, etiam cum ab Hebræo recedunt, illum alienam a Judæis retuliſſe originem, ſuſpicamur (*a*). De Actis Apoſtolorum, ab eodem Auctore ſcritis, alibi diſſeremus (*b*).

S. Joannes Evangeliũ ſcribit. Canon Evangeliorum.

VIII. Cum ab Aſiæ Epiſcopis enixe rogaretur S. Joannes Apoſtolus, ut ea quæ de Domino Jeſu Chriſto vel viderat, vel audierat, conſcriberet, jejuniis precibuſque publicis indictis, tria Evangelia Matthæi, Marci, & Lucæ primo approbavit, ſuo deinde exarando Evangelio manum admovit, ea præſertim referens, quæ adverſus Cerinthum, & Ebionem, Chriſti Divinitatem negantes, Fidei veritatem confirmarent (*c*). Cum vidiſſet, ab aliis Evangeliſtis duorum tantum annorum, poſt carcerem nempe Joannis Baptiſtæ, hiſto-

riam

(*a*) Calm. Prolog. in Lucam.

(*b*) Vide hanc Hiſtor. l. 15. c. 13. n. 6.

(*c*) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 14. Hieron. de viris illuſtr. & prolog. in Matth.

Digitized by Google

riam eſſe contextam, ſuperioris etiam anni, antequam Joannes clauderetur, res a Chriſto geſtas narravit. Græce ſcripſiſſe, nulli dubitamus. De anno & loco non conſtat, quamvis complures malint Epheſi, poſtquam eo circa annum Chriſti 98. rediiſſet ex ſuo in Patmos exilio (*a*). Ita quatuor Evangeliorum Canon conſtitit.

IX. Nonnulli ex Recentioribus putant ex Platone, ſive Philone ea didiciſſe Joannem, quæ de Verbo in Evangelii ſui principio exaravit. Rerum ſane omnium Creator interdum apud Platonicos æque ac Stoicos, *Logos* nomine deſignatur (*b*), quod in Græco loco Verbi adhibet etiam Joannes. Urgebant autem nomen illud quatenus *Rationem*, & *Sapientiam* ſignificat, contra Epicuræos, omnia caſu auctore ſtetiſſe effutientes. Philo pariter, Platonis ſtudioſiſſimus, eodem ſæpe vocabulo Sapientiam creationi Mundi Præſidem deſcribit (*c*). At Platonici, Stoici, & Philo, juxta communiorem opinionem, Logon aliquid eſſe cenſebant Deo inferius, ut eſt Angelus. Quare ſi Joannes ad eorum doctrinam alluſit, id certe non præſtitit, ut illam approbaret, ſed ut refelleret, cum Verbum luculentiſſime Deum eſſe teſtetur, nedum Omnipotentia, & rerum omnium productione, ſed Æternitate, Dignitate, & Eſſentia. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt:* quod quidem

S. Joannes Platonicis adverſatur.

(*a*) Calm. Proleg. in Joannem.

(*b*) Plato in Timæo, & Epinom. Laert. l. 7.

(*c*) Philo de Mundi Opific. de Monarch. de Somniis, & Alleg.

dem Evangelii exordium plures Philoſophi, potiſſimum Platonici, admirati ſunt; ex quibus unus voluiſſet, ut in Templorum liminibus legendum ab omnibus inſcriberetur (*a*). Aliquid Joanni ſimilius occurrit in Paraphraſibus Chaldaicis Librorum Moyſis, ubi ſummi verique Dei nomini *Jehovah* non raro ſubſtituitur *Memra Adonai*, ſcilicet Verbum Dei. Memra igitur, ſive Verbum per illarum Auctores Mundum creavit, Abrahamo, Jacobo, Moyſi ſpectandum ſe præbuit, deduxitque Iſraelitas per deſertum in Terram Promiſſionis. Porro Onchelos, & Jonathan, quibus præcipue Opus illud tribuitur, ſunt Chriſto antiquiores, vel ſaltem coævi; proindeque cenſendi ſunt irrefragabiles opinionis gentis ſuæ aſſertores (*b*). Palmare autem eſt apud Patres apparitiones Deo attributas in veteri Teſtamento, factas fuiſſe per Dei Filium, ſive per Angelos, quibus vi ſingularis aſſiſtentiæ & præſentiæ Filius Dei ineſſet (*c*). Quare recta conſecutione hinc etiam inferri licet, Dei Filium, ſive Verbum, eſſe ſummum & verum Deum. Minime tamen contendere hic velim, ex his fontibus ſuam ſitim extinxiſſe S. Joannem, qui ex Chriſti pectore fluenta potaverat, cuique præſto erant ſacri Scriptores, in quibus non abſimilia de Verbo, ſive divina Sapientia, inveniuntur (*d*).

X.

(*a*) Auguſt. de Civit. l. 10. c. 29.
(*b*) Calm. in Joan. 1. 1. & Dict. v. *Memra*.
(*c*) Berti de Theol. 1. 3.

Diſcip. l. 7. c. 8.
(*d*) Prov. VIII. 30. Eccli. XXIV. 5. 6. 14. Sap. VII. 24. 25. VIII. 1. 2. IX. Baruch. III. 38.

X. Veteres Hæretici ex Evangeliis vulgo errores ſuos tuebantur; quo autem id facilius aſſequerentur, aut vera Evangelia rejiciebant, aut falſa ſupponebant, aut vera falſis miſcebant. Quomodo Evangelium S. Matthæi a Nazaræis, & Ebionitis exceptum fuerit, ſupra narravimus. Alogi, ſive Verbi impugnatores, ceteris admiſſis, Evangelium S. Joannis reſpuebant, quaſi Opus a Cerintho procuſum. Ebionitæ, Cerinthiani, Valentiniani, & Martionitæ ex quatuor unicum tantum Evangelium probabant; primi S. Matthæum, alteri S. Marcum, tertii S. Joannem, quarti S. Lucam; quem tamen fæde obtruncabant, rejitientes priora duo capita, incipienteſque illis verbis: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris* &c. Ethnici, & Judæi ita contra Evangelia infidelitatem ſuam promovent. Cum plura Evangelia ſub nomine Apoſtolorum confiƈta, vulgataque fuerint, qui ſuſtineretur, non eſſe ejuſdem generis quatuor illa Evangelia, quæ a Chriſtianis autographa cenſentur? Quibus reſpondetur, Eccleſiam univerſalem, & conſtans ſæculorum omnium teſtimonium priora illa damnaſſe, poſteriora vero probaſſe. Et quidem Homerus, Plato, Cicero, Virgilius tantam teſtium nubem non habent ſuffragantem, quantam Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. Eſto, excipiunt, ii Evangeliorum ſint auƈtores: nonne falſa narrare potuerunt? Sed cui bono mentiri voluiſſent, cum nihil inde utilitatis, honoriſque ſe percepturos viderent, ſed perſecutionem potius, odium, tormenta, & necem, quippe quos minime late-

Vera Evangelia defenduntur.

ret predicari a ſe Jeſum crucifixum Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam? Accedunt Mahumetani, quærentes: undenam certi ſimus, dogmata de Verbi Incarnatione & Trinitatis Myſterio non fuiſſe in Evangeliorum Libros intruſa, abraſa vero quæ ad Mahumetem pertinerent, eorumque loco nomen adventuſque Paraclyti ſubſtituta (*a*)? Reponimus, hujus intruſionis, abraſionis, ſive ſubſtitutionis nullum extare argumentum; quinimo contraria omnia apparere. Vel enim ejuſmodi corruptio facta eſt, antequam Mahumetes Legislatorem ageret, vel poſt. Non primum, quia quæ extant in Evangeliis de Incarnatione, de Trinitate, de Paracleto, ex eiſdem Libris in Opera ſua derivarunt innumeri Eccleſiæ Patres, qui ante Mahumetem floruerunt; quæ quidem Eccleſia eo uſque, fatentibus eiſdem Mahumetanis, verax, & ſancta fuerat. Nec alterum dici poteſt; nam ſi poſt Mahumetem illa corruptio facta fuiſſet, aliquem Codicem proferre poſſent Mahumetani, vel Arabicum, vel Syriacum, vel Græcum, vel Latinum, in quo illa appareret. Præterea conſenſus inter Patres, qui ante & poſt Mahumetem, de eiſdem argumentis ſcripſere, hoſtium jugulum petit. Tandem, ſi Chriſtiani adulterare voluiſſent Evangelia, Chriſti paſſionem & mortem expungendam curaſſent, quam adeo Chriſto indignam putant Mahumetani, ut eo divinitus ſublato, corpus umbratile cruci credant affixum fuiſſe.

Falſa Evangelia. XI. Damus hic catalogum falſorum Evange-

(*a*) Joan. XIV. 26. & XVI. 13.

geliorum, quorum nomina in Patrum Operibus ſuperſunt. 1. Evangelium ſecundum Hebræos. 2. Secundum Nazaræos. 3. Secundum Ægyptios. 4. Secundum Syros. 5. Evangelium duodecim Apoſtolorum. 6. S. Petri. 7. S. Pauli. 8. S. Andreæ. 9. S. Jacobi, quod per excellentiam dicitur Protoevangelium. 10. S. Thomæ. 11. S. Bartholomæi. 12. S. Matthiæ. 13. S. Taddæi, vel Judæ. 14. S. Philippi. 15. S. Jacobi Minoris. 16. Judæ Iſcariotæ. 17. S. Barnabæ. 18. Nicodemi. 19. Apellis. 20. Baſilidis. 21. Cerinthi. 22. Marcionis. 23. Tatiani. 24. Valentini. 25. Leucii. 26. Seleuci. 27. Luciani. 28. Heſychii. 29. Evæ. 30. Ebionitarum. 31. Encratitarum. 32. Gnoſticorum. 33. Simonianorum. 34. Nativitatis Salvatoris. 35. Infantiæ Salvatoris. 36. Nativitatis B. Virginis, Hujus argumenti duplex quondam extabat Evangelium. 37. Obitus B. Virginis, ſive Evangelium Joannis. 38. Veritatis. 39. Perfectionis. 40. Vitæ. 41. Evangelium Æternum. 42. Minores & Majores Interrogationes Mariæ. Plura tamen ex his Evangeliis unum idemque habenda ſunt, quod varias præſeferret inſcriptiones. Sic Evangelium. 1. Secundum Hebræos. 2. Secundum Nazaræos. 3. Duodecim Apoſtolorum. 4, S. Petri. 5. Ebionitarum, alia non ſunt ab Evangelio S. Matthæi, varie a variis corruptum. Quatuor dumtaxat ex falſis illis Evangeliis adhuc ſuperſunt, ſcilicet Protoevangelium Jacobi, & Evangelia Nativitatis B. Virginis, Infantiæ Jeſu, & Nicodemi. Porro Protœvangelium Jacobi, quamvis Opus Ebionitarum, nonnulla

vera continere, alibi diximus (*a*). Evangelium, quod extat, Nativitatis B. Virginis ejuſdem Protoevangelii compendium eſt. Evangelium Infantiæ Jeſu, alio nomine Evangelium S. Thomæ, ſcatet prodigiis ab eo adhuc puero uſque ad annum duodecimum factis, quæ vix mulierculis pro ipſorum levitate probarentur. Perhibet, Jeſum, cum in cunis jaceret, loquutum fuiſſe. Compingebat aliquando e luto per ludum animalia una cum aliis pueris; ſed fabricata a Jeſu ſtatim vita donabantur. Gemina hæc prodigia refert de Jeſu etiam Alcoranus. Accidit, ut verſans in officina tinctoris Jeſus, pannos, quos ibi forte offendit, ſimul omnes in cacabum tinctorium injiceret; tum eductos peculiari ſingulos ad voluntatem domini colore imbutos exhibuit. Diſcurrebat Joſeph una cum Jeſu, carpentariam exercens; quicquid autem brevius, ſive longius, quam par eſſet, occurreret, Jeſus nutu ad menſuram reddebat. Hujus ſaporis ſunt fere omnia, quæ ibi narrantur, prodigia. Evangelium Nicodemi, ſi Fabricium audias, procuſum eſt ab Anglis, qui primum gentis ſuæ Apoſtolum illum eſſe cenſent. Occurrunt in illo Opere quæcumque in vetuſtis Pilati Acti referebantur, ſed fabellis plurimis vitiata.

Teſtimonium Joſephi. XII. Opportunum hic ducimus aliqua ſubnectere de Joſephi teſtimonio, & Actis Pilati, quibus Evangelicæ Hiſtoriæ finem imponamus. Nullum illuſtrius teſtimonium de Jeſu Chriſti apud Prophanos Scriptores invenias eo quod

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 11. c. 2. n. 8.

quod legitur in Antiquitatibus Flavii Joſephi. *Eodem tempore fuit Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimoſque tam de Judæis, quam de gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat; quem accuſatum a noſtræ gentis Principibus, Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperunt. Apparuit enim eis tertia die vivus ita ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt; & uſque in hodiernum Chriſtianorum genus ab eo denominatum non deficit* (*a*).

XIII. Hoc teſtimonium varii varie exceperunt. Illud igitur Joſepho a quodam Chriſtiano pia fraude ſuppoſitum defendunt poſt Hubertum Gifanium, & Lucam Oſiandrum, Salmaſius, Blondellus, Tanaquillus, aliique. Si enim, inquiunt, iſta Joſephus vere ſcripſiſſet, antiqui Patres, qui ex inſtituto Judæos oppugnarunt, ut puta Juſtinus, Tertullianus, Chryſoſtomus, telo hoc hoſtium jugulum petiiſſent. Origenes una ad Celſum aſſerit, Joſephum non cognoviſſe Chriſtum. Quid quod Photius de Joſephi Antiquitatibus non ſemel egit, & tamen nullibi laudatum teſtimonium excerpſit? Opponunt etiam perantiquum manuſcriptum Medicæum ex Græco in Hebraicum translatum, aliaque Hebræorum volumina, in quibus laudatum teſtimonium deſideratur. *Nonnulli teſtimonium illud ſuppoſitum tenent.*

XIV. Alii notant, Joſephum de Præcurſore Chriſti Joanne Baptiſta, & de diſcipulo ejus Jacobo nonnulla protuliſſe, ejuſque ætate Chri- *Alii interpolatũ fuiſſe malunt.*

(*a*) Antiq. l. 18. c. 4.

Chriſti famam, & Chriſtianorum multitudinem omnium oculos ad ſe convertiſſe. Quare boni ingenuique Hiſtorici partes implere non potuiſſet, ſi de Chriſto ipſo plane ſiluiſſet. Scripſit ergo, ajunt, de Chriſto. Sed qui ita ſentiunt, in diverſa abeunt. Sunt enim qui dicant, Joſephum contumelioſe de Chriſto loquutum fuiſſe; blaſphemiarum autem vice a Chriſtiano quopiam inſigne hoc Chriſti elogium ſubſtitutum. Ceteri vero malunt, Joſephum de Chriſto verba facientem a laudibus ejus non abſtinuiſſe; contendunt tamen, Joſephi teſtimonium interpolatum eſſe, eique aſſuta ſaltem ille verba: *Chriſtus hic erat*. Quomodo enim potuit Joſephus ſcribere; Jeſum eſſe Chriſtum, ſive Meſſiam, cum Prophetarum de Meſſia oracula in Veſpaſiano impleta profeſſus ſit? Unde & a Cedreno, hoc Joſephi teſtimonium allegante, verba illa omiſſa videas. Aut ſi Chriſti mentionem fecit Joſephus, fortaſſe his verbis uſus eſt: *Credebatur*, vel *dicebatur eſſe Chriſtus*. Neque enim aliis verbis Joſephi teſtimonium laudat Hieronymus (*a*). Quinimo ipſemet Joſephus Jacobum vocat fratrem Jeſu, *qui dicitur Chriſtus* (*b*). Hæc illi.

Veritas teſtimonii aſſeritur.

XV. Sunt denique qui prædictum teſtimonium, prout jacet, ſuſcipiant, quibuſcum & nos ſentimus. Fatendum ſane, illud non ſolum in editis & manuſcriptis Joſephi Codicibus conſtanter legi, verum etiam ab Euſebio cum in Hiſtoria Eccleſiaſtica, tum in Demonſtratione Evangelica laudari (*c*). Poſt Euſebium

(*a*) In catalog. c. 13. (*b*) Antiq. l. 20. c. 8. (*c*) Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 1. c. 2. Demonſtr. Evang l. 3. c. 5.

bium ejuſdem teſtimonii fidem confirmant e Græcis, omiſſo Cedreno, Iſidorus Peluſiota, Sozomenus, Sophronius, Suidas, Zonaras, Glycas, Nicephorus; e Latinis præter Hieronymum Hegeſippus, Rufinus, Euſebii interpres, pluresque ſequentium ſæculorum Scriptores. Nulla enim de hoc dubitatio orta eſt, niſi poſt ſæculum decimum quintum. Porro Codicum omnium fidem; totque teſtimoniorum auctoritatem, argumenta, ut ajunt, negativa, aliæque conjecturæ, imparia ſunt, ut elevent infringantque.

XVI. Oppoſitis ita reſpondemus. Patrum nonnullorum ſilentium non officit, quia ipſorum cum Judæis concertatio non erat, an Jeſus extiterit, patraveritque miracula, quod ultro hoſtes fatebantur; ſed an eſſet Deus, & an id ex ſacra Scriptura probaretur. Intentum Origenis eſt, quod Joſephus in Chriſtum non crediderit. Ad Photium quod ſpectat, tria dicimus. I. Illius Bibliotheca teſte Valeſio tertia ſaltem parte interpolata eſt. II. Photius hoc teſtimonium non videtur prætermiſiſſe, cum eiſdem verbis loquatur de Chriſto Codice 238., quamquam Joſephi eo loco non meminit. III. An Photius major eſt Euſebio, ut pluris ejus ſilentium, quam hujus aſſertio, faciendum ſit? Ad ultimam difficultatem reponimus, nulla poſſe proferri exemplaria, quibus non præcellant ea, quæ in Bibliothecis Palatina, Cæſarea, & Medicæa aſſervantur, potiſſimum vero illud Hieroſolymitanum, quo uſus eſt Euſebius. Si autem dicas, hujus fraudis Euſebium ipſum fuiſſe architectum, reſpondebit

Objecta diluuntur. Judæorũ dolus.

bit Valeſius : Cui bono id Euſebius confingere voluiſſet ? An ex teſtimonio Euſebii pendebat Divinitas Chriſti ? An non Euſebii ætate Libri Antiquitatum Joſephi in omnium Bibliothecis habebantur , quibus impoſtura detegeretur? Particularis ille Codex Medicæus eo ipſo quod hebraice redditus eſt , Judæi Interpretis fraudem indicat . Ad objectiones , quæ pro altera ſententia afferuntur , ita reſpondemus . Si Joſephus contumelioſe de Chriſto ſcripſiſſet , Codex aliquis , vel Auctor hujus contumeliæ teſtis ſupereſſet . Cedreno , & Hieronymo aliorum Scriptorum multitudinem opponimus . Non deſunt præterea , qui dicant , mendoſo Codice ipſos uſos fuiſſe . Veſpaſianum tandem Meſſiam Joſephus crediderit , vel ipſum adulatoria laudatione ſibi devinxerit , noſtra nil refert . Ex huc uſque dictis ſuſpicari poteris cum Baronio , ubi deeſt Joſephi teſtimonium , ab ipſis Judæis expunctum fuiſſe (*a*) : quod ille probare nititur ex quodam Codice ex Græco in Hebraicum translato , ubi liquet fuiſſe abraſum ; quamquam illius hiulcæ periochæ ratio alia poſſit afferri , & Codex forte fuerit Joſephi , non Flavii, ſed Gorionidis (*b*) .

An Joſephus ad Chriſtianorũ ſacra tranſierit ?

XVII. Ergo , aliquis excipiet , Joſephus Chriſtianus erat ; perinde enim ac nos de Chriſto ſcribit , & ſentit . Hæc conſecutio neceſſaria non eſt ; nunquam enim Joſephus aqua baptiſmatis tinctus fuit ; potuitque quidem credere , Jeſum fuiſſe Chriſtum , ſive Meſſiam ; ſed purum hominem tamen ; aut excellentioris cujuſdam naturæ , quam ſit humana ; ſed non

(*a*) Baron. ad an. 34.

(*b*) Berti de Diſcip. Theolog. l. 25. cap. 9.

non divinæ; quæ opinio Apoſtolorum ævo apud Ebionitas, & Nazaræos viguit; quin Chriſto adhuc in terris verſante apud nonnullos eadem ſententia facile obtinuit. Præterea, cum dicit: *Chriſtus hic erat*: ſubaudire licet: *Is erat*, *qui appellabatur Chriſtus*. Ita Valeſius, Huetius, Tillemontius, Uſſerius, Cavius, aliique multi; quos tamen impugnat Honoratus eo potiſſimum nomine, quod alioquin & alia quæ præcedunt, ſubſequunturque, ſcripta cenſere poſſemus; non ex ipſius Joſephi ſententia, ſed ex vulgi opinione: quod a vero abeſſe videtur (*a*). Quid ſi dicamus, Joſepho acceſſiſſe ſingularem Numinis impulſum, quo Caiphas, Judas, Pilatus, & ipſi etiam Dæmones aliquando teſtimoniumChriſto perhibuere?

XVIII. Lambecius aliter prædictam difficultatem declinat (*b*), verba ſcilicet Joſephi in ſiniſtram partem interpretando, quaſi non ad Chriſti elogium, ſed potius ad ejus vituperium & contemptum ſpectarent, etſi a Joſepho, ut neque Judæos, neque Chriſtianos offenderet, ambiguis phraſibus concepta fuerint. Hujus interpretationis ſpecimen damus. Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt credere, *& non potius phantaſma*, *aut dæmon quoddam*. Erat mirabilium operum patrator, & Doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt; *mira ſcilicet & incredibilia fingebat*, *quibus apud rude vulgus*, *quædam paradoxa loco certorum dogmatum ſimplici credulitate ſuſcipiens*, *Doctoris auram captabat*. Chriſtus hic erat. *Cum multi per id temporis nomine Jeſu*

Singularis Lambecii interpretatio.

(*a*) Tom. 8. Bibl Vindob. p. 22. (*b*) Animad. l. 5. diſſert. 7. a. 3. §. 3.

ſu appellarentur, puta Jeſus filius Damnæi, & Jeſus Gamalielis filius, ut Jeſus de quo Joſephus agebat, a ceteris diſtingueretur, addidit, ipſum apud ſuos eſſe Chriſtum. Apparuit eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates prædixerunt. *Diſcipuli Jeſus ipſum ſibi apparuiſſe aſſeverant, idque Prophetarum oraculis confirmare nituntur. Fides ſit penes Auctores*. In hanc ſententiam Lambecius Joſephi teſtimonium pertrahere conatur. Sed, ut verum fatear, interpretationes iſtæ nedum novæ ſunt, ſed & nimis longe petitæ, nimiſque coactæ.

Acta Pilati. XIX. S. Juſtinus Martyr, Tertullianus, Euſebius, atque cum veterum, tum noſtræ ætatis Scriptorum turba, morem apud Romanos obtinuiſſe tradunt, ut omnium judiciorum ſuorum cauſas & acta ad Cæſarem tranſmitterent (*a*). Hinc Pilatum cauſæ Jeſu Chiſti certiorem feciſſe Tiberium, Tiberium vero in Chriſto aliquid Numinis ratum, ſcriptis ad Senatum literis inſinuaſſe, ut Apotheoſis ei decerneretur; Senatu autem diſſentiente, rem non proceſſiſse; Tiberium tamen exinde propenſo in Chriſtianos animo perſeveraſse, accuſatoreſque ipſorum indicta mortis pœna deterruiſse. In Actis iſtis, quæ Pilati vocant, de prodigiis Jeſu Chriſti, de veſtibus inter milites diviſis, de Reſurrectione & Aſcenſione agebatur. Quæ modo circumferuntur Acta ſeu Literæ Pilati de Chriſto ad Tiberium, ſuppoſita plerique cenſent (*b*). Berti tamen excipere videtur

(*a*) Juſtin. Apolog. 2. Tertull. Apologet. c. 5. & 21. Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 2. c. 2.

(*b*) Fabric. apocry. Nov. Teſt. Gotti de vera Relig. c. 35. §. 1. Berti de Diſcipl. Theol. l. 25. c. 10.

detur illam quam vulgavit Florentinius, cujus initium: *Pilatus Tiberio Cæſari ſalutem. De Jeſu Chriſto, quem tibi plane poſtremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quaſi invito, & ſubticente, ſupplicium ſumptum eſt*. Suppoſita etiam eſt epiſtola, nomine Publii Lentuli ad Senatum ſcripta, quæ illam etiam falſitatis notam habet, quod ſe ante Pilatum Judææ Procuratorem faciat; ita enim incipit: *Apparuit temporibus iſtis, & adhuc vivit vir præditus potentia magna, nomine Chriſtus Jeſus* &c. Publius ſane numquam Judææ Præfecturam obtinuit; quam toto prædicationis Chriſti tempore Pilatus obivit; ante prædicationem vero nulla ejus nominis fama per Judæam increbuerat (*a*). Multo magis rejicienda ſunt, quæ Idolorum Sacerdotes tanquam apud Pilatum geſta ſuppoſuerunt, impietatis & blaſphemiarum plena, quæve jubente Maximino ad omnes imperii Provincias direxere, ut Ludimagiſtri pueros in ſcholis ea docerent (*b*). Idem eſto judicium de iis quæ ad confirmandum ſuum errorem vulgarunt Quartodecimani (*c*).

XX. Ceterum Acta Pilati ſincera aliquando extitiſse, citra ſummam audaciam in dubium verti non poteſt, quin Juſtinus & Tertullianus omnium impudentiſſimi habeantur, cum ii Chriſtiani Nominis hoſtes, ac ipſum etiam Imperatorem & Senatum ad illa ea aſsertione remiſerint, quaſi in eorumdem manibus verſarentur. Sed quid Baſnagius, Tanaquillus, aliique opponunt? Incredibile eſt, Pilatum laudes ad Tiberium ſcripſiſse hominis, quem ipſe

Acta Pilati ſincera aliquando fuerunt.

(*a*) Vide hanc Hiſtor. l. 12. c. 18. n. 5.

(*b*) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 9. c. 5

(*c*) Epiphan. hær. 51. c. 1.

ipſe damnaverat. Cauſam mortis Chriſti potuit Pilatus refundere in Judæos, qui illum tanquam populos ſubvertentem, & prohibentem, ne Cæſari tributa ſolverentur, accuſaverant. Qui Pilatus de Chriſti Reſurrectione potuit ferre teſtimonium? Ex audito terræmotu, ſparſoque rumore, quod Chriſti cadaver cuſtodibus dormientibus ſublatum fuiſset, pronum erat, ut rei veritatem inquireret, atque in male curatas excubias animadverteret. Tiberius Judæis erat infenſus; non ergo de Judæi apotheoſi apud Senatum agere potuit; & ſi egiſset, Senatus non reluctaſset. Chriſti honor Judæis nonniſi dedecus & ignominiam peperiſſet; quippe qui eum occidendum curaverant. Senatus vero diſſenſit, ut aſsentaretur Tiberio, & negaret honores illos alteri dari, quos Princeps ipſe in ſe non probaverat. Renuit etiam Senatus, ut ſuam tueretur auctoritatem, improbaretque illorum auſum, qui ſe inſcio minimeque annuente, Chriſto cultum impendere cœpiſsent (*a*). Præterea Chriſti Religio unum tantummodo Deum colendum præcipit; oportuiſset ergo ut Romani antequam illum conſecrarent, & ceu Deum colerent, alios a ſe cultos Deos abjicerent (*b*). Adde, Dei conſilium fuiſse, ne Chriſtus eumdem cum Idolis honorem haberet, & ne ipſius Religio Romanorum auctoritate & potentia propagata diceretur.

(*a*) Tertul. ubi ſupra. Chryſ. hom. 26. in ep. 2. ad Cor. (*b*) Auguſt. de Conſ. Evang. l. 1. c. 18.

FINIS
TOMI SEPTIMI.

MAG 758